




**Danielis Tossani: S. Theologiae in Academia Heidelbergensi
professoris: Orationvm de variis rebvs gravissimis habitarvm,**

<https://hdl.handle.net/1874/420672>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

oct.
96




oo
dd

folia 109
110

A. Ocl.
96










96

Litterae Latinae

Octavo n^o. 96.







V. 30. C.

DANIELIS
TOSSANI:

S. THEOLOGIAE IN ACADEMIA HEIDELBERGENSI
PROFESSORIS:

ORATIONVM:
DE VARIIS REBUS GRA-
VISSIMIS HABITARVM:

Volumen unum:

Singularum argumentum tertia
pagella indicabit.



AMBERGAE

Typis Michaelis Forsteri

ANNO M. D. XCV.



*Ex dono Hub.
Ducroly.*

THE
LIBRARY OF THE
MUSEUM OF NATURAL HISTORY
AND
GEOGRAPHY
OF THE
CITY OF LONDON



1850
No. 1000

1850
No. 1000

AMPLISSIMIS VI-
RIS, PRVDENTIA, VIRTU-
TE ET HVMANITATE PRÆSTAN-
TIBVS, DOMINIS CONSVLIBVS
ET SENATORIBVS INCLYTAE
REIP. DAVENTRIENSIS,
Dominis honorandis.

QVOTIESCVNQVE, AMPLIS-
simi, Clarissimi & præstantissimi viri, hunc ve-
strum statum intueor: toties illius dicti B. Cypri-
ani martyris recordari soleo: DOMINVM DE-
VM, in plerisq; servis suis dignari ostendere admirabilem
Ecclesiæ suæ redintegrationē, & quàm facilè sit ipsi post
pluvias serenitatem, post tempestates præstare tranquil-
litatē. Nam, Deus bone! quàm subita & inopinata commu-
tatione res vestras in melius restituit, & enses ac lanceas in
vomeres, armorum infestorum strepitum in suavia hal-
cyonia convertit, vestramq; REMP. cum veteribus sociis,
& florentissimis HOLLANDIAE, PHRYSIAE & SE-
LANDIAE ORDINIBUS coniunxit. Fallor ego, aut
illud ipsum INCLYTA DAVENTRIENSIS RESP.
nunc experitur, quod scribit autor non ignobilis: Sicut placi-
dum mare ex aspero, cœlumq; ex nubilo serenum, hila-
ri aspectu sentitur: Sic bellum pace mutatum plurimum
gaudii adfert.

Lib. 4.
Epist. 4.

Valer. Ma-
xim. lib.
4. cap. se-
cundi præ-
fat.

*Et si verò tota nostra vita continua quædam est mi-
lizia super terram, nec desinet unquam callidus ille & anti-
quus serpens calcaneo mulieris insidiari: est tamen quod
vobis piè omnes gratulentur hanc vetusta & inclyta vestra ci-
vitatatis liberationem ab IBERA, & impotente dominatio-
ne: sed imprimis hunc animū, quod nihil habuistis prius, quàm,
ut de ruinis Ecclesiæ & Scholæ vestra, olim certè per totam Eu-
ropam celeberrima, instaurandis cogitaretis. Sunt, sunt IL-
LA OMNINO RERVMPUBLICARVM VERA*

P R A E F A T I O.

3. Offic.

ET SEMPTERNA ORNAMENTA. Et cum FELICITATEM Cicero ipse defini verit, rerum honestarū prosperitatem: quanā illa esset vestra prosperitas, nisi res omnium honestissima, pulcherrima, utilissima, religio & bona litera quasi rediret apud vos florerent. Dum stabit Orbis Christianus, dum bonis literis honos aliquis habebitur, in hominū memoria manebit, ERASMUS ROTERODAMUS, cuius prima institutionis incunabula in vestra Schola fuerunt. Habuit enim SCHOLA VESTRA longa annorum serie Rectores & Praeceptores doctrina & eloquentia conspicuos: inter quos, alios multos, LUBBERTUM MEPPENSEM, LYDOLPHUM HELMIUM PITHOPOEUM, IOANNEM REIDANUM, & insignem clarissimumque virum, IOANNEM illum NOVIOMAGUM BRUNCKHORST, I. V. Licentiatum: nec non & Ludolphi filios, BASILIUM ET LAMBERTUM HELMIOS PITHOPOEOS fratres, quorum hic annis iam 32. in celebri hac, & VETUSTA ACADEMIA HEIDELBERGENSI oratores & Poetas magna cum laude interpretatur.

Ceterum, Amplissimi & Clarissimi viri, quemadmodū in sinu gavissus sum, me filium genuisse, qui operam aliquam tam nobili Schola navaret: ita fateor, me, postquam intellexi, filium meum PAULUM TOSSANUM, à Clarissimis REIP. SCHOLARCHIS, nec non ab AMPLISSIMO SENATU ad Scholae vestrae gubernacula admotum, percussum fuisse, ac timuisse valde, ne iuvenis tanto oneri, ad quod sustinendum, viri aetate, doctrina & experientia graves requiruntur, succumberet, idemque ei eveniret, quod Bellerophōti aut Icaro accidisse scribunt Poetae. Verum, cum non nisi ex iudicio CLARISSIMORUM aliquot illustris SCHOLAE LEYDENSIS PROCERUM, vestrisque humanissimis & iteratis postulatibus, & ad tempus, donec vobis melius prospiciatur, & ex squalore bellorum civilium utcumque sese Scholae vestrae recolligat, id oneris in se suscepit: acquievi ego quidem, sperans & optans, ut, & aetate, aut experientia deest, id, dum eum Deus apud vos esse volet, labore, diligentia, fide compenset.

set. Nec potui, quin pro tam præstanti vestra erga filium benevolentia ac humanitate, quam mihi sæpe per literas prædicavit, gratias VESTRIS AMPLITUDINIBUS agerem maximas: & quidem publica aliqua compellatione, & harum mearum orationum inscriptione ac dedicatione aliquam grati animi significationem darem: quæ si vestra amplitudine digna non sunt, non indigna sunt tamen varia argumenta, quæ in illis trahantur, cõsideratione vestra, & obvarietatem rerum aliquid foris delectationis etiam habebunt. Illud meum consilium, ut vobis non improbetur, filiumq; meum favore vestro prosequi pergatis, demissè oro & obsecro. Ego, viri Amplissimi & Clarissimi, Deum Optimum Maximum perpetuo comprecabor, ut, cum, Hieronymo teste, in Christianis non tam initia, quàm finis quærantur, bonum opus, ad Fur- quod in vobis cœpit, ad optatum finem perducatur, Remq; publicam vestram, Ecclesiam ac Scholam dantissimè florentem cõservet, Amen. Per scriptum Kalend. Decemb. Dominica Adventus 1594. quâ die ante annos undecim, CHRISTO AUSPICE & auctore ILLUSTRISSIMO PRINCIPE, ET DOMINO D. LOANNE CASIMIRO, &c. Laudatissime memoria, Electoratus Palatini tunc Administratore, Neustadio Heidelbergam revocati, initium cõsecutionum, & Liturgia totius Ecclesiasticæ fecimus.

Epistola

ad Fur-

Amplitudinib,
vestris.

addictis. Daniel Tossanus, S. Theologiæ Professor, & verbi divini minister Heidelbergæ.

N 3

SEQVEN-

SEQUENTIVM ORATIO- NVM INDEX.

- I.** **O**RATIO habita Basileæ, anno LXXII. continens deplorationem & brevem Historiam Lanienæ Gallicæ.
- II.** Oratio habita Heidelbergæ, anno LXXXVII. de Fride-
ricis, tribus Imperatoribus & tribus Electorib⁹ Palatinis:
inprimis de FRIDERICO III. Pio, Elect.
- III.** Oratio eodem anno habita Heidelbergæ: in promo-
tione cujusdam doctoris Theologiæ: de his duabus Quæ-
stionibus: An Evangelici potestatem habeant promo-
vendi Doctores: &, an consultum sit Rebuspub. promo-
vere Doctores.
- IV.** Oratio habita ibidem XXIII. Decemb. de Religiosa
præparatione ad S. Cœnam.
- V.** Oratio habita VII. Feb. anno LXXXVIII. continēs gra-
vem adhortationem ad pœnitentiam.
- VI.** Oratio eodem anno, ibid. habita, de glorioso Christi
ascensu in cœlum, nec non de vera dulcissimaq; ejus præ-
sentia.
- VII.** Oratio Eucharistica post dissipatam classē Hispani-
cam, habita anno LXXXVIII. die ultima Decembris.
- VIII.** Oratio habita ibidem anno M. D. LXXXIX. die ultima
Decembris, continens brevem narrationem de rebus ali-
quot memorabilibus superioris illius decennij.
- IX.** Oratio habita M. D. XC. in honorem inelyti Domini
Iohann. Skumini filij magni thesaurarij Lithuaniae, Hei-
delberga Basileam discedentis, de hæc quæstione: An
p̄sit peregrinationes suscipere, maximè ad eos, quos Pon-
tificij pro hæreticis habent.
- X.** Oratio habita in arce corâ legatis VVayvodæ Trans-
silvani, anno XCI. Dominica prima post Epiphaniæ, de
puero IESV.
- XI.** Oratio funebris in obitum Illust. principis Casimiri
inelytæ memoriæ, anno XCII. die VI. Iauuarij.

Oratio habita anno 94. mense Martio in promotio- XII.
ne cujusdam Doctoris, qui Vbiquitariorum instinctu à
ministerio fuerat remot^o, de hac quaestione: Quis ver^o &
perpetuus fuerit sensus Confessionis Augustanae: & qui
veri sint ejus socii.

Oratio eodem anno habita mense Julio: In promo- XIII.
tione duorum Licentiatorum Theologiae. De D. Paulo
eximio exemplari fidi Doctoris.




ORA,

ORATIO PRIMA.

ORATIO HABITA

Basileæ in aula medicorum, die Dominica, quæ erat 7. Decemb. An. LXXII, hora 1. pomeridiana, utputa paulo post truculentam illam piorum lanienã per totam Galliam, quæ eodẽ, ut constat, anno, die Barthol. & sequentibus exarsit, complectens partim deplorationẽ illius calamitatis: partim gratiarũ actionem ad Remp. & Academiã Basiliensem pro ipsarum hospitalitate & humanitate erga pios exules, cum alios complures, tum etiam filios ipsius Amiralii, Colignii, Gallici Atlantis, Lutetie trucidati: qui eò tunc tanquam ad portum confugiebant.

Interfuerunt tunc orationi præter Reverendos Dominos Pastores, et Clarissimos Professores, Ornatissimus vir Reipub. Basiliensis Secretarius, & Generosus ac Illustris Comes Philip. ab Hanovv, &c. qui ex illa laniena evaserat: nec non & inclyti Barones D. Francif. & D. Daniel à Stubenberg.



ORATIO PRIMA.



QUOD IN ALIIS DOLO-
 ribus & miserijs fieri solet, Ma-
 gnifice D. Rector; Incliti & Ge-
 nerosi Domini Comites & Ba-
 rones: Reverendi, Clarissimi & Ornatissi-
 mi omnium ordinum viri, ut homines
 vel conquerantur, vel causam suam agāt,
 vel oratione aut scripto injurias sibi factas
 exaggerent: Id in ista Gallica calamitate
 hoc tempore nondū fieri & neminē inter
 Gallos existere, qui ad dicendum aut scri-
 bendum de tam insigni facinore accinga-
 tur, mirum fortasse multis videri potest.
 Verum enimverò hoc mirari desinet,
 qsquis secum reputabit, doloris istius tā-
 tam esse magnitudinem, ut fortissimorū
 quorumq; animi obstupescant, verba au-
 tem vel eloquentissimis hominibus exci-
 dant. Nam quod est quæso ingenium
 tantum, quæ tanta facultas dicendi & co-
 pia, quæ de tam atroci facinore & scelere,
 præter hoc, in audito satis commodè dice-
 re, conqueri satis graviter, & contra tales
 Oratores causam perorare queat? Atta-
 men cū pauculas quasdam reliquias ex

hostium ferro ereptas Deus Opt. Max. in
 hanc civitatem humanitatis plenam, tan-
 quam in portum verè εὐξείνου, ex tempe-
 state ejecerit: majori curæ nobis est, quæ-
 admodum Deo Optimo & humanissimæ
 Civitati gratiam habeamus, quàm ut do-
 lori nostro indulgentes in perpetuo silen-
 tio perseveremus. Et ea certè cura infixæ
 perpetuò nobis erit, ut vestro favore & ci-
 vitate vestra non indigni videamur. Ea me
 cura quoq; expergefecit, & stimulavit, ut
 seposito pudore, quem mihi partim in-
 fantia mea; partim gravitas vestra attribu-
 it, ex hoc loco, in hac clarissima corona
 aliquid dicerem de funestis nostris cala-
 mitatibus, non tam ut dolorem nostrum
 vobis impertiar, (cum quo pios vestros
 animos spõte satis communicare video,)

quàm ut tùm cognitis nostris malis, eo-
 rundem progressibus atq; causis, vobis
 ipsis melius cõsulere & præcavere possitis:
 tùm ut ex casus nostri acerbissimi recensiti-
 one intelligatis, eam, qua utimini, hospi-
 talitatem, in homines magis afflictos &
 magis Christianæ consolationis indigos,
 conferri non posse.

Vt igitur rem totam melius accipiatis, Auditores clarissimi, & non ea solùm quæ præterita sunt, verùm etiam quæ impendere videntur, perspiciatis, dabo operam, ut unde tam immane & nefarium facinus à principio conflatum atq; profectum sit, cognoscatis. Fuit quidem Gallica gens olim ita fera & crudelis, sicut in Cōmentarijs Cæsar meminit, ut humano sanguine litaret, ut innocentes etiam homines ad cruenta sacrificia adhiberet, ut item latrocinia, quæ extra muros finesq; civitatis fierent, infamiam nullam haberent. Cæterùm posteaquam Legibus & humaniorib⁹ disciplinis exculta sub uno Rege gens illa coaluit, commutatis moribus ad humanū planè & urbanum vitæ genus tracta est. Et erat CAROLI quoque Regis in pueritia ea indoles, & animi vultusque constitutio, & habitus, ut omnia ab eo expectarentur, quæ ab ingenuo & clementi principe expectari solent. Vnde ergo fit, ut, cum improbè & perfidiosè quondam multa sint gesta, similis improbitas, impudentia eadem, perfidia tanta nusquam inveniatur? Dicam paucis: Facinus istud

*Guytrca
familia.*

natum est à crudeli Babylone, quæ sanctorum sanguine se nunquam non cruenta-
vit, auctum per Tridentini Concilij con-
juratiōem, Cardinalium & Hispanorum
instigationes: perfectum atq; conclusum
per Regem artibus Italicis instructum, &
ab ea familia impulsum, quæ piorum san-
guinē quoquo tempore sitivit: quæ Gal-
liam totam cōflagrare mavult, quàm bo-
nos viros in Regis aula aspicere: cujus de-
niq; familiæ caput est purpuratæ meretri-
cis purpuratus Cardinalis; qui verè cum
quodam DE CII Imperatoris consiliario
conferri potest, de quo Historia Ecclesia-
stica scribit, quòd Minister Dæmonum
vulgò sit vocatus, quia imperatore ipso
nocentior omnes adversus Christianos
incitabat. Sic habet iste mille nocendi
artes, & gaudet unanimes armare in prælia
fratres, gaudet odijs versare domos, func-
reasq; inferre faces, dissiicere compositam
pacem. Quid porrò idololatria crudelius
unquam fuit, quæ cum ratione & verita-
te destituatur, minis, vi, ferro & flamma se
rueri conatur, atq; ita veris DE I cultoribus
cōmoda quibus utūtur, spiritum quē du-
cunt

eunt, lucem qua fruuntur, eripere modis
 omnibus studet? Hinc factum est, ut Ec- *Psal. 127.*
 clesia, authore Psalmographo à juventu-
 te sua multis difficultatibus affecta, affli-
 cta, injuriis divexata, multisque procellis
 jactata, atq; exagitata fuerit. Quare ma-
 nifestus error per eorum animos pervasit,
 qui Religionem, quam ex verbo DEI am-
 plectimur, nihil aliud quàm turbas, bel-
 la & discordias orbi conciliare credunt,
 cum illa omnia, ut sapientissimè Tertul-
 lianus in Apologetico, & Cyprianus ad-
 versus Demetrianū monuerunt, ex mun-
 di malitia & inveterato Diaboli adversus
 veritatem odio proficiscantur. Nam, ut
 eleganti similitudine docet Chrysostrōm?
*quemadmodum ferae quae in antris suis retru-
 sae & abditae quiescunt, tum demum maxi-
 mè seviunt, & cum impetu magno erumpūt,
 quando eas venatores persequuntur: sic
 Diabolus, quoties se verbi divini prædica-
 tione abigi & profligari videt, tunc magno fu-
 rore percitus in filios Dei irruit, omnes ira ef-
 fudit habenas, & ut Augustini verbis utar,
 foris oppugnat, quando ejicitur foràs.* Hinc
 tanta pontificij Regni intemperies:
 hinc tam immania odia adversus Évange-

Narratio. licas Ecclesias orta sunt. Cum enim mortuo Henrico Rege, Ecclesiæ in Gallia quæ gravibus persecutionibus oppressæ, velut in tenebris latebant, emergere & indices crescere ac propagari inciperent: ille fraudum omnium architectus & Romanæ sedis emissarius, Cardinalis, ut viam sibi ad omnem tyrannidem muniret, & in capite & fortunis bonorum omnium dominaretur: à Regis aula eos omnes arcere cœpit, quos vel factioni suæ adversari, vel conatibus nefarijs obstare posse putabat. Atq; ita impotenter & contumeliosè adversus Galliæ principes, & cæteros proceres se gessit, ut tam ferocis dominationis Heroes non pauci pertæsi de reprimenda illius familiæ ambitione consilia inirent, unde tum Ambasiæ, tum alibi in Galliâ tumultus graves & funesti exorti sunt. Miseras autem Ecclesias innumeris contumeliis jam afficiebat, jam commenticiis criminibus onerabat, & sicut olim Iudæi à gentibus per contemptum Sabbatharii, Christiani à Iuliano Apostata, & aliis hostibus, Galilæi vocati sunt: ita tunc Evangelici, ut in peregrini dogmatis suspicionem

*Carolus
Cardinalis
Lotharingicus.*

*Hugueno-
torum ap-
latio.*

nem vocarentur, Cardinalitia arte Hugue-
 noti vocitari cœperunt: denominati, ut
 pleriq; affirmant, à quodam spectro, quod
 noctu in orbe Turonum evagari vulgus
 credebat, & Monachi cujusdam Hugonis
 dudum defuncti umbra putabatur, quia
 & illis temporibus Christiani noctu suos
 conventus propter persecutiones habere
 cogebantur. Dum hæc ita geruntur, &
 nullus in toto regno invenitur, qui mise-
 rarum Ecclesiarum agere causam aude-
 ret: ecce de improvîso & præter amicorū
 omnium expectationem Dominus Deus,
 ut est mirabilis in operibus suis, Illustrem
 illum & fortissimum piæ & æternæ me-
 moriæ Heroëm, Casparum Colignium,
 Galliæ Tallassiararchum, Spiritu fortitudi-
 nis, & zelo mirifico induit, q̄ cū antea Ev-
 angelicis Ecclesiis nomen non dedisset, in
 mediis illis procellis, Regi ipsi Francisco
 ejus nominis secundo, in Regio Senatu,
 quem privatum, vel secretum vocant, ea
 in arce quæ Callirhoë, vulgò Fontaine
 bleau dicitur, Fidei confessionem, & li-
 bellum supplicem Gallicarum Ecclesiarū
 nomine exhibuit, earumq; causam mira

Anno 1599.

O R A T I O

quadam prudentia, magnoque animi robore egit. Quæ res, incredibile dictu, quãtam homini aliàs apud Regem gratissimò invidiam & malevolentiam conciliaverit. Hunc, hunc certè sibi postea tota Pontificiorũ secta p̄posuit, quem telis omnibus appeteret, & in quem contumelias omnes conferret. Cæterum ut ambitiosa illa Guisiorum familia cruore Gallico se expleret, & sola rerum in Gallia potiretur: *An. 1560.* coactis Aureliæ ingentibus copiis, ubi Regem Franciscum pro arbitrio suo regebat, nefaria cõsilia inivit de Illustrissimo Principe Condensi, quem captivum illi tenebant, aliisq; Heroibus quamplurimis capitali supplicio afficiendis, aliis capite diminuendis, aliis, variis mulctis mulctandis, aut proscribendis.

O furor ò nimium dominandi innata cupido.

Sed fregit illa tum crudelia consilia magnus mundi arbiter, qui pro sua providentia, rerum omnium habenas moderatur, & Regem Franciscum diras cædes anhelantem, ultimum statim spiritũ reddere iussit. Verum, ut benè canit Psaltes Psal. 94. brutagens impiorum in Dei iudiciis

diciis cæcutit, & pectus habet crassa ignorantia obsessum: & sceleri devota factio in scelere suo plaudit: secumque cogitat, Deum hæc non aspicere. Non igitur de spe nefaria: non de sceleratis conatibus adversarii Ecclesiæ depulsi fuerunt, ne tunc quidem, cum mortuo Francisco rege adulescente, quo ad interitum piorum abutebantur, Ecclesiæ passim efflorescerent & propagarentur. Immò statim consiliis novis initis alios voluptatibus & calidis artibus demulcere & demereri cœperunt, veluti Regem illum Navarrenum Antonium: alios cædibus & omni crudelitatis genere terrere tentârunt, cujus crudelitatis fundamenta in oppido Valsiaco *An. 1562.* jecere, miserum denique regnum in tria civilia bella longè atrocissima hoc decennio conjecerunt. Quis porrò esset orationis meæ vel modus, vel exitus, si omnes crudelitatis species enumerarem, qua immanissimas quasque bestias Põtificii in Gallia superârunt: aut si vel ea saltem percerem, quæ ante triennium vel quadriennium societas quam Divioni & Tholosæ societate Spiritus S. vocabant, de interfi-

ciendis usque ad infantes Christianis constituerat: aut si de horrendis Aureliano-
rum facinoribus dicere instituerem, qui
anno 69. suppositis ignibus, ultra ducen-
tos omnium ordinum viros, uno die in
diversis carceribus cremarunt? Sed & co-
horresco totus de his cogitans, & hæc pau-
ca indicasse satis est, ut immanis istius odii
in Amiralium & in Ecclesias Gallicas ex-
ordia & progressus intelligatis. Interim in
ea ipsa insidiosa pace, quæ aliquoties in
Gallia instaurata est, agnoscimus concedi
à Domino inducias quasdam ad tempus,
ne diuturnitate malorum pii planè fran-
gantur. Deinde in illius pacis inconstan-
tia & tanta rerum vicissitudine, quæ per
totum decēnium in Gallia fuit, animad-
vertimus, nullam veram posse esse pa-
cem mundo cum Ecclesia, ut in ea pace,
quam Deus dat, penitus acquiescamus, &
nobis à mundo semper caveam⁹, qui odit
lucem & filios lucis, cuique hoc proposi-
tum est, ut Evangelii nomen, si possit, de-
leat atq; extinguat. Venio autem ad ista
postrema, quæ in Gallia patrata sunt. Cum
toto biennio, manu conferendo, Evange-
licorum

licorum copias hostes opprimere nō possent, quæ sæpi⁹ fusæ subinde redintegrabātur; & exercitus ducem habebat Amiralium, virum ad labores impigrum, ad pericula fortem, ad usum, peritum, ad consilia prudentem, quem nec veneno (ut sæpe tentarunt) extinguere, nec in prælio cedere valebant: alia via id aggredi voluerunt, ut qui belligerando nihil perficerent, fraudibus, in quibus impii sunt exercitatissimi, & falso pacis nomine inducto, superiores evaderent. Et cum nossent, quanta principum Evangelicorum, Amiralii, ac totius nobilitatis erga Regem observantia esset, fidemq; sibi derogatum iri præviderent, si de pace tractarent, quam toties violaverant: Regem ipsum Tragoediæ histrionem subornarunt, qui nihil sancti⁹ se observari velle asseverabat, quàm pacem, ideoq; vultu ac verbis maximā clementiæ & benevolentiae significationē nobilitati Evangelicæ dabat, & ipsius Amiralii generum Telignium ad multa secreta consilia adhibebat. Deniq; matrimonium illud Regis Navarreni cum sorore sua, tāquam sanctissimum pacis vinculum & pignus modis omnibus urgebat, &, ut maturare-

tur, sollicitabat. Quid quod cum Pontifice ipso magnam simultatem se exercere simulavit, indigneque ferre, quòd Papa per Legatum vetuisset, ne Rex sororem hæretico principi desponderet? Sed ô infestas & nefarias nuptias! ô infœlix & infauustum conjugium! Conjugium vocât: hoc prætexunt nomine culpam, Ille, *nimirum* dies primus lethi, primusque malorum Causa fuit.

Et cum Gallicæ nobilitati nuptiæ illæ plenæ dignitatis & concordiæ viderentur: (plerisque tamen verbi Divini Ministris aliisque non paucis sagacibus viris diversum sentientibus qui ἐπεροζυγία illam infelicitè semper fidelibus cessisse recordabatur) factum est, ut ex toto regno Rex sollicitè proceres & nobiles Evangelicos non tam ad nuptiales *ferias*, quàm ad *inferias* accerferet. Interim (si mens non læva fuisset, aut nisi potius indeclinabilis mortis extremeque calamitatis hora venisset:) multa signa & sinistra auguria cladem illam antecessere: Reginæ Navarrenæ subitus & improvisus interitus: Papistarum per totum Regnum atroces minæ, qui biennalem
tantum

tantum fore pacem jaſtitabant: Cardina-
lis Lotharingi cum Albano clandestinum
colloquium: Ejusdem ꝑfectio Romam:
Copiæ militum ingentes in agro Rupel-
lanorum poſitæ, hoc prætextu, quòd na-
valis exercitus contra Albanum inſtruen-
dus eſſet: Et alia multa. Verùm, cum Ev-
angelici proceres, (ut ſolent filii Dei mi-
n^o cauti & ſuſpicaces eſſe filiis hujus mūdi,
& eſt credulitas error magis quàm culpa,
ut eſt in *Epist. Cicer.*) totos ſe magnis cum *Epist. 23.*
ſumptibus & magna cum effuſione ad *lib. 10. fam.*
nuptias, ad lætitiã, & ad Regem oblectã-
dum comparaffent, & eos Rex quotidie
vel muneribus ornaret, vel blandiſſimis
verbis demulceret, Amiraliumq; ipſum
ita haberet, ut intimum & conſiliorum
maximè ſecretorum participẽ: DIE POST
NVPTIAS QVARTO venit ſumma dies, &
ineluctabile malum: & fortiſſimo Heroi
Amiralio ſub horam prandii domum ex
Regia revertenti man^o ambæ globulo tor-
mentario trajectæ fuerunt: manus heu!
quæ aſſerendæ libertati & paci Galliæ nate,
factæ & devotæ fuerant. Cùm verò hoc
vulnere accepto non ſtatim occubiſſet,

& globulus ille manus tantum, non autem,
 sicut conjurati sperarant, medium corpus
 trajecisset: nova simulatione nostros ad-
 huc producendos & conpirationem re-
 gendam conjurati putarunt. Rex igitur
 eo nuncio audito, vultum ad moestitiam
 composuit, ejus facinoris reum praemiis
 propositis iis, qui comprehenderent, perquiri
 jussit: Literas ad omnes Galliae provincias per
 celeres equos dedit, quibus Amiralii casum
 sibi dolere, & se facinus illud insigni exem-
 plo vindicaturum denunciabat. Denique,
 ut Evangelicae nobilitati, quae eo facinore
 graviter commota erat, securitas induce-
 retur, & suspicione omni ex animo ejecta,
 incauti & improvidi proceres opprimeren-
 tur: Amiralium Rex ipse assumpta se-
 cum matre, & fratribus, decumbentem
 invisit: clementissimè affatus est, &, ut
 bono animo esset, jussit, spemque certam
 tanti facinoris ulciscendi fecit. Ibi tum
 pius Heros ad Regem conversus: Non
 sum, inquit, Serenissime & Clementissi-
 me Rex, de vulnere meo, non de vindica-
 do facinoris authore sollicitus: quia cum
 vitam istam, tum vindictam omnem Deo
 permit-

permitto, ad quem animus meus anhelat,
 & cujus aspectus in cœlis, laborum, qui in
 hac vita exantlandi sunt, finis, vereq; fœli-
 citatis cumulus erit. Sed si ex hac me sta-
 tione evocare Deo Opt. Max. videtur: *tria*
hæc à te Rex demissè obnixèq; peto & ex-
 peto: *Primum*, ut pacem in regno tuo san-
 citam violari nunquam patiaris. *Deinde*
 ut credas ad Regni tui incolumitatem
 pertinere, ut indignissimè oppressis Bel-
 gis adversus Barbarum illum tyrannum
 Albanix Ducem suppetias feras. *Postre-*
mò illud tibi persuadeas, mihi in omnib⁹
 actionibus institutisq; meis nihil prius &
 antiquius fuisse, quàm ut Edictorum tuo-
 rum auctoritatem adversus turbulentos
 homines, nec nō & Gallix libertatem ad-
 versus inimicos patriæ, nihil nisi ejus in-
 terneccionem moliētes tuerer: atq; cum
 adeo esse me, apud animum tuum planè
 statuas, qui ad extremum usq; Spiritum de
 tuis ac Regni tui cōmodis & salute sit co-
 gitaturus. Sub hæc Rex illinc digressus,
 ut Amiralio & reliquis proceribus metū
 & suspicionem omnem eximeret, delectos
 quosdam præsidiarios milites, quales eos

Amiralius ipse optârat, in illa platea cōstitui jubet, qui caverent, ne aut Popul⁹ Parisiensis, aut alii in Amiralii domum impetū facerent: plerisq; proceribus & nobilibus Evangelicis, qui per urbem variè sparsi erant, in eadem illa platea hospitium dari Rex quoq; mandat, ut ita glomerati tutiores essent, vel *potiùs in eundem compacti angulum omnes simul trucidarentur*, sicut factum est. Scio dubitare multos, an Rex ipse juvenis adhuc & natura præceps toto biennio tantum scelus tantamq; proditorem in animo repōitam alere ac tegere potuerit: an verò, ut pleriq; autumāt, à malevolis & malè feriatis quibusdam irritatus, ad istud nefas audendum mandandūque pertractus sit. Sit illud certè dubium. Indubitatum interim hoc esse debuit, suspectam esse reconciliati hostis, & Regis, & Italicis præceptis imbuti tam subitam & ambitiosam benevolentiam, tanquam inusitatas blanditias: ut memorabilis est atq; hoc loco minime prætereunda Homeri illa *ὄρα*:

Iliad α.

*Potentior Rex quādo irascitur viro Inferiori,
Quamvis etiam iram vel eodem die concoxerit:*

Tamen

Tamen & postea retinct iram, donec perfecit
Suo in pectore. (vit

Sed ô sapientes sæpe parùm, ubi opus est,
Sapientis! ô nimis vitreum favorem aulicû!
ô nostras aures aulicis assentationibus &
blādiloquiis nimis sæpe patulas: & nimiã
cum Regibus familiaritatē, non minùs ac
cū leonib⁹, & ursis periculosam! Rex enim
Carol⁹, Deus bone! quàm citò, quàm faci-
lè á summa illa erga Amiralium & socios ejus
facilitate ad exacerbationē summam tra-
ductus fuit, ita ut in sui Palatii area & in
penetralibus Evangelicos nobiles prima-
rios, atque inter alios, fortissimum illum
Strategum Pileum trucidari curaret, & de
fenestris satellites suos ad talia patrāda co-
hortaretur & animaret, vixq; illi ejus ani-
mū explere possent. Die igitur 24. Augusti,
sub horam 4. matutinam, cum nobiles il-
li omnes securè altum dormirent, & Ami-
ralius ipse ad somnū se composuisset: ecce
ingens in illa platea concursatio, strepit⁹ &
eodē momento in domos omnes impet⁹:
Ibi tūm fores effringi, omnia p̄sterni & mi-
sceri ceperūt. Quid quæso tunc animi pio
illi & vulnere gravi affecto Heroi fuisse cē

Bartholo-
MeVsfLet
qVIagaL-
LICVsoC-
CVbat at-
Las.

setis? Fuit, fuit certè veteris constantiæ memor, & cum præsentem jam mortē eamq; crudelissimam videret : per Ministrum verbi Divini, quem in cubiculo secum habebat, preces haberi iussit, & ad sanctas meditationes se totum comparavit, deinde dimissis suis, ut sibi, quantū quisq; posset, consuleret, ex lectulo egrè assurgens, in sedili confedit, ut morti, quam sibi felicè fore in Domino quietem prævidebat, velut obviam iret. Continuò autem delect⁹ ex toto numero Sicarius audax, & in cæde sæpe versatus, Ducis Guysii cliens, cū sibi viam ad cubiculū Amiralii ferro patefecisset, *hasta totis viribus adacta Transadigit costas & candida pectora rumpit, pulchrosq; per artus It cruor, inq; humeros cervix collapsa recumbit* : accessit & alius, qui faciem Amiralii vulnere fædaret. Non timuit sceleratus miles Dei vindictam : non limen cubiculi; non parietes ipsos; non tanti Herois vultum reveritus est, cuius nomē omnib⁹ malis formidabile semper fuit. Non eum ad misericordiam inagni & pii Ducis verba flexere, qui primum illum sicarium irrupentem in cubiculū,

cano.

canora voce monebat, ut homini, & jam grande vo, & faucio parceret. Quid quod semimortuus heros de cubiculi fenestris præcipitat⁹ est, ut Aumalii, Guysii, & aliorum hostium oculi, qui in atrio domus avidè spectaculum illud expectabant, expleretur, eiq; ut Græci olim Nestori mortuo, insultarent? Ibi tum omnis pudoris: & naturæ ipsius repagulis extractis, ut immane scelus aliis nefariis sceleribus adauctū cumlaretur, in reliquos omnes proceres & nobiles impetus fit: trucidantur omnium ordinum viri, Regis Navarreni, & Principis Condensis domestici omnes: interficiuntur Clarissimi inter cæteros Heroës, Comes Rupefuehdanus, & Teli-gnius Amiralii gener, quos Rex ita charos habere antè videbatur, ut sine illis esse non posset. Bona etiam omnia piorum, libidini & prædæ sicariorum exposita fuerunt, qui in re sua egentissimi, in aliena insolentissimi erant: neq; aliquid tam avitum, & paternum cuiquam bono fuit, quod illorum prædonum manus effugeret. Amiralii miserabile cadaver in plateas protractum ab indomita & ad audendum pjectum

plebe innumeris contumeliis affectum, &
 in cœno diu volutatum, capite quod Ro-
 mam missum dicitur, truncatum, tãdem
 indignissimè in publico patibulo extra
 urbem suspensum fuit. O in dignũ facin!
 Ô amentiam & furorem! Itãne oportuit
 virum naturæ habitu propè divino, ani-
 moq; excellenti: virum ad dubia Reipub.
 tempora reservãdum, quem virtutis glo-
 ria cum summa laude ad cœlum extule-
 rat, per invidiam & perfidiam ad ignomi-
 niosum supplicium deprimi! Quicquid
 certè potuit vis & furor ipsi detrahere;
 eripuit & abstulit: Quod viro forti & pio
 adimi non potest, constantem in Deum
 fidem, nominis memoriam, gloriã & lau-
 dem ipsi, non vulnera, non sicarii adime-
 re potuerunt. Hæc Lutetiã dum ita gerũ-
 tur, dum se Rex illorum hominum ducẽ
 præbet, dum Amiralii corpus in plateis
 omni injuria affectum conspicitur: tunc
 demum seditiosi cives se per plateas effun-
 dere, & in omnis sexus & ordinis homines
 grassari, & tanquam offusa Regno sempi-
 terna nox esset, ita ruere in tenebris & mi-
 scere omnia cœperunt. Quid, quod plu-
 rimis

rimis etiam Pontificiæ Religioni addictis mors oblata est, & in ipsos Parlamenti cōsiliarios, si qui politici & moderatiores inter eos erant, sæviturum est? Sed quæ est tanta orationis ubertas, quæ cladem illius dici, aut funera fando explicet? Ita certè effrænata & indomita conjuratorum libido fuit, ut, cùm nihil sit tam cōmune quàm Spiritus vivis, terra mortuis; ubi vitam eripuerant, ipsa cadavera vel canibus dilanianda proponerent, vel in fluvium deicerent. Sic nobilitate clarissima & simul doctissima fœmina Domina de *Iuern*: cum filiabus, sic duæ Aurelianæ mulieres sorores in Sequanā projectæ fuerūt, quòd Missam audire renuerent, & vitam potius quàm sincerā Religionem deserere vellēt. Tùm verò illa præclara: palàm Lutetiæ exultare lætitia: triumphare gaudio: supplicationes habere, ut pro re bene gesta Divis suis gratias agerent. Et, ut nullum scelus in hoc facinore prætermitteretur, Deum finxerunt novo miraculo illas cædes cōprobasse, & in magno Cœmiterio, quod Innocentium vocant, Spinā quandam, quæ antea floruiisset nunquàm, su-

bitò die illa nefasta floruisse; quam spinã
 Dux Andegavensis, Regis frater, cum ma-
 gna Parisiensium & Aulicorum turba vi-
 sere, osculari & venerari voluit. Quid que-
 so ad hanc sacrilegam impietatem acce-
 dere potest, aut quid illis amentius, qui ta-
 le miraculum commenti sunt, quo suum
 furorem magis notum facerent & testa-
 rentur? Nam *tunc omnino floruerunt spi-
 na*, ut Ezech. 7. dicitur, *floruit domus,
 floruit impietas, & florent ad tempus impij,
 sed arescent tandem, & æternis ignibus ad-
 dicti consumètur.* An verò post illam fu-
 nestam diem, crudelitatem illorum præ-
 donum respirasse putatis? Minime certè.
 Nam vel tunc cum urbe tota fletus gemit-
 usq; fierent, & in omnibus urbis plateis
 vel ex nobilitate, vel ex Consiliariis & Ad-
 vocatis, vel ex Academiae clarissimis Pro-
 fessoribus, vel ex mercatoribus non pauci
 crudeliter trucidati essent, missi sunt à Re-
 ge, qui per omnes domos, & domuum pe-
 netralia vestigarent, si quis fortasse abditus
 manus sicariorum effugisset. Atq; tunc
 maxima rursus facta est strages: nec ho-
 spes ab hospite tutus fuit: Plurimi etiam
 magni

magni nominis viri in carceres coniecti; si qui Missam audire nollent, confestim jugulati, & in fluvium protrusi fuerunt. Postremò ut ferrum ipsorum ad omnes perveniret, & in toto Regno omnia perfringerentur atq; psternerentur: Per celebres equos, provinciarum gubernatores & Regni civitates, una velut literarum significatione, hortantur, ut suo exemplo Evangelicos omnes funditus & sine exceptione deleant. Non defuerunt tamen etiam gravissimi religionis hostes, qui parere mandatis recusarunt; interq; cæteros Ducatus Burgundiæ Governator, cui Regis rationes planè improbatæ fuerunt. Sed fuit nuncium illud Aurelianis imprimis, Lugdunensibusque seditiosis gratissimum: ubi supra modum sævitum est, & lanii adhibiti fuerunt, quemadmodum Licinii imperatoris tempore, qui Christianos mactarent: immò, quod horrendum dictum est, eorum qui paulò obesiores erant, adipem venalem haberent. Et perpauca omninò sunt in Regno civitates, perpauca oppida, pagi & fluvii pauci, qui piorum martyrū sanguine non maduerint. Quid

quòd immanitas tanta fuit, ut nec in tanta calamitate viduis mulieribus maritos, orphanis parentes lugere liceret, nisi quòd Lutetiæ tunc pueruli & infantes inventi sunt, qui, cùm viderent se à matrum sinu avelli, matres ad supplicium rapi, ejulare non destiterunt, donec per omnes meat⁹ tenerum suum sanguinem pfunderent? An nō id Scythicam quæso barbariē superat? Nam *quis hoc fecit ulla in Scythia tyrannus, ut eos quos luētū afficeret, lugere non sineret?* inquit Cicero in Orat. in Pisonem. Neq; tamen adhuc illorum Tyrannorum libidini satisfactum fuit. Nam & superioribus septimanis Clarissimum in Gallia, & rei militaris peritissimum Equitem auratum, virum ferè septuagenarium Bricmaldum, qui fortè in legati Anglici domum se abdiderat, nec non & principum Navarræ & Condeï Cancellarium, virum Prudentissimum Cavagnæum Lutetiæ in medio foro suspendi curârunt, & Amiralii defuncti imaginē ac insignia per plateas ignominiosè tractata ludibrio habuerūt; & toti quotidie in eo sunt, ut Evangelicam veritatem profitentes vel jugulent, vel horrificis

ficis minis ad nefandas suas superstitiones adigant. Quæ est quæso ista tanta crudelitas? quæ tam fera immanisque natura? quis prædo tam nefarius? quis pirata tam barbarus unquã fuit? Crudelis fuit Antiochus: sed apertus Ecclesiæ hostis & Ethnicus: Crudelis Nero, verum & quinquennio toto Clementissimus & postea apertè malus: Crudelis Domitianus, sed cùm Regnum Christi spirituale, non terrenum esse intellexisset, in Christianos sævire desiit. Carolo sexto Gallia Rege imperante, juvene eò & stolido (sicut Annalium monumentis proditum est) Gallia magnis difficultatibus affecta fuit. Atqui nihil ex omni antiquitatis memoria repeti potest, quod, si circumstantias omnes perpèdas, ad eam truculètiã, quam nunc cõmemoram⁹, accedat? Cùm sint ista tamen tam clara, tam testata, & pervulgata: nugatoria accusatione & commentitio conjurationis crimine pios illos proceres onerare non verentur: cùm ex illis omnibus ne unus quidem vel lacepsitus gladium ex vagina eduxerit: Cùm mulieribus quoque & infantibus immites sicarii mortem obtule-

rint: cum ex eorum manibus ipsi Germani, & inter cæteros Generosissimi & Clarissimi Comites, Barones & nobiles aliquot, non sine magno discrimine, evaserint; cùm ipsum Gallia Cancellariũ amplissimum virum, Michaëlem Hospitalium hoc tantum nomine, quòd hujusmodi nefariis consiliis adversatur, & jam dudũ ex aula removerint, & nunc tanquam captivum habeant: cùm apertè homines ad suas Idololatrias Missas adigant: cùm passim grassentur: cùm denique primus in Parlamento præses Christophorus Thovanus Regi illam, egregiam scilicet, victoriam gratulans, palàm inter alia dictum illud Ludovici undecimi subjecerit: QUI NESCIT DISSIMVLARE, NESCIT REGNARE. An nõ ista quæso Pontificiorũ sceleratã cõjurationẽ ita perspicuè ostendũt, ut vel oculis cerni possit? Sed nimis longa oratione Clarissimam istam coronã detineo: & brevis tamen sum, resq; potiùs adumbro, quàm narro, si rei magnitudo confidetur. I AM, jam erit sapientiæ vestræ, & omnium Rerum publicarum verè Christianarum, videre Gallicam calamitatem à
 vestrà,

Conclusio.

vestrâ, & omniû Ecclesiarum calamitate
 sejunctâ esse non posse: cùm & Religio cõ-
 munitis oppugnetur: & tot sceleribus deli-
 buti, sanguinisq; piorum avidi tyrâni con-
 quietcere non possint. Fortitudinis ve-
 stræ erit, in id sedulò incumbere, in quo
 religio, salus, dignitas, & libertas vestra de-
 fenduntur: Erit humanitatis vestræ ac pie-
 tatis, & id ipsum postulat C O M M V N I O
 S A N C T O R V M, pergere, ut cœpistis, sancta
 συμπαθεία dolere de contritione Ioseph:
 nudatos, p̄ditos, desertos propter Christi
 nomen, non intueri solùm, verumetiam
 tueri, erigere, & solari. Inprimis verò
 monent acerbissima hæc tempora Theo-
 logos, ut sepositis intempestivis omnibus
 contentionibus, invecivis & præjudiciis,
 contra fratres plus satis afflictos, ad veram
 concordiam sarcendam potiùs animum
 applicent (ut olim grassante in Ortho-
 dos Valente Imperatore à Basilio & Euse-
 bio Cæsariensi factum est,) quàm ut novas
 litis materias, iracundè & morosè conqui-
 rant. Atque utinam tales cæteros omnes
 experiremur, quales reverendos & præcla-
 ros viros, istius Reip. laudatissimæ Theo-

Sozomen^{us}
 Hist. Ec-
 clesiast. lib.
 6. c. 15.

logos & ministros: qui non solum pri-
 vatim, sed & publicè suam erga afflictas
 Ecclesias caritatem, ac *συμπράξαντες* testantur,
 auditoresq; suos ad commiserationem er-
 ga pios exules sedulò hortantur. Id omni-
 nò rectè: id Christianè: id tempestivè &
 consideratè. Ecclesia enim universa si jam
 uno ore loqui posset; hujusmodi procul-
 dubiò oratione nos omnes, qui Evangeli-
 cam veritatem profiteamur, compellaret:
 CVM hodie undiq; me externi hostes pre-
 mant atq; oppugnent: cùm Reges terræ
 in me, conspiratione facta, tela sua conver-
 tant; & Satanus agnoscens tempus suum
 esse breve, magnâ cum irâ descendat &
 fremat: nolite vos filij mei in mea viscera
 sævire: nolite vos ipsos mutuis discordiis
 consumere, optatosq; triumphos vestris
 præbere hostibus. Si concertare vobis cer-
 tū est: mutuis certate officiis piaq; æmu-
 latione in curriculo pietatis: Si pugnare
 libet: agite, contra superbiam, contra ava-
 ritiam, & ambitionem, contra pravos, &
 distortos affectus certamen suscipite: An-
 miramini in pœnas generis humani iram
 Dei crescere, cùm crescat quotidie, quod
 punia-

puniatur? Ignem, ignem hunc iræ divinæ qui exarsit, lacrymis, sanctisq; precibus restinguite: In patientia, silentio, & spe animas vestras possidete: Nolite super malignis, aut super eorum prosperitate æmulari: Recordemini homicidarum & tyrannorum miserrimum semper fuisse exitum: ut quos jam assiduæ; domesticæq; furia vexant, jam mala conscientia terret, & subitus sequitur interitus. Hujusmodi certe Ecclesiæ vox bonos omnes maximè commovere meritò debet.

Nos porro Gallicis illis erepti flammis, quibus Deus Opt. Max. hospitium in Inclyta hac Vrbe concessit, plurimum recreat, splendidissimæ Reip. singularis hospitalitas, immò sic pios exules afficit, ut non tam exulare sibi videantur, quàm relicto infelici regno, ad verè Regiam Βασίλειαν: relictis feris & rapacibus lupis, ad beatas quasdam insulas appulisse. Solantur & erudiunt nos sanctissimæ & doctissimæ Theologorum conciones & lectiones, quæ & pietatis plenæ & ad hæc tempora maximè accommodatæ sunt. Exhilarat nos deniq;

clarissimæ istius Academiæ lumen, & doctissimorum professorum conspectus atque consuetudo.

Vt autem orationi modum & finem imponam, Deum Omnipotentem, Deum illum exercituum & ultionum, per Filium ejus unigenitum Servatorem ac liberatorem nostrum, ardentibus votis conprecor, ut cognitor juris nostri, defensor clamitatum, ultor injuriarum, suoque tempore Ecclesiæ vindex è coelis appareat: atque interim omnibus afflictis, hunc animum indat, ut cum Propheta Michæa capite 7, sic dicant, & secum cogitent: *NE lateris inimica mea super me, quia cecidi: Rursus enim surgam: Dum sedeo in tenebris: Dominus LVX mea est. Indignationem portabo, quoniam ei peccavi: donec causam meam judicet, & faciat judicium meum. Educet ille me in lucem, & videbo justitiam ejus: Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: VBI est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt eam, & erit in conculcationem, sicut lutum platearum.*

Postre-

Postremò eundem Dominum & Patrem nostrum cœlestem unà cum omnibus aliis piis, quos Gallica tempestas in hunc portum eiecit, obnixè oro, ut inclytam hanc Rempub. atque Ecclesiam, nec non & celeberrimam Academiam Basiliensem, diutissimè florentem cōservet, & non secus ac oculi pupillam ab omni malo custodiat,
Amen.

Dixi.



ORA-

ORA

ORATIO SECVNDA.

DE FRIDERICIS
HEROIBVS, PRÆCIPVE,
QVE DE FRIDERICO III. PIO,
ELECTORE PALATINO,
Duc. BAVARIAE,

PRAESENTIBVS ILLVSTRISS.
ET POTENTISS. PRINCIPIB.


IOHANNE CASIMI-
RO COMITE PALAT. AD RENVM,
BOIORVM DVCE, TVNC TEMPORIS
TUTORE ET ELECTORATUS ADMI-
NISTRATORE VIGILANTISS.

ET

FRIDERICO IV. EIVS CEL-
SITVDINIS NEPOTE: TVNC IN-
CLITÆ ACADEMIÆ RECTORE MAGNI-
FICO: NUNC ELECTORE FLO-
RENTISSIMO, &c.

HABITA HEIDELBERGAE, IN COETV
ACADEMICO, DIE MARTII QVINCTA.
FRIDERICI IV. NATALI, ANNO
CHRISTI cl. l. xiiic.

C


 ECVRIT jam nobis & illuce-
 scit alma & fausta dies, quæ
 non solum natalis est TV
 CELSITVDINI, RECTOR MA-
 GNIFICE, atq; idem ILLUSTRISSIME
 PRINCEPS, verumetiam auspiciatum Ec-
 clesiæ & Reipub. nomē FRIDERICI gerit:
 & simul TRIVMFORTISSIMORVM CLA-
 RISSIMORVMQVE IMPERATORVM &
 TRIVM SEPTENVIRORVM PALATINO-
 RVM laudatissimam ac dulciss. nob. me-
 moriam renovat. Neque tamen hanc di-
 em ita celebrare constituimus, ut vel ab
 Ethnicis olim celebrabatur natalis dies, q
 geniis suis merum fundebant: vel ab ipsis
 Christianis, qui tempore Tertulliani, ut ex
libro de corona militis apparet, oblationes
 pro Natalitiis annua die faciebant; quod
 postea in Synodo Nicena interdictum &
 sublatum fuit: sed sicut cum Beatus Au-
 gustinus celebravit, qui die suo Natali de
 vita beata cum familiaribus & amicis in-
 ter frugales epulas commentabatur: &
 quemadmodum idem monet in lib. quæ-
 stionum Veteris & Novi Testamenti. *Sic*
diem nostrum natalem celebremus, ut Deo
gracias

Gratias agamus, quos nasci voluit ut, essemus
 templa ipsi consecrata, & gaudeamus viden-
 tes in nobis profectum ejus finis, ad quem con-
 diti sumus: & ad quem nisi omnia refera-
 mus, nunquam nos natos esse præstaret.

Hodie igitur, Illustrissime Princeps Fri-
 derice, inclytæ hujus Academix, in qua
 summum hoc tempore Magistratum ge-
 ris, nomine, Deo Opt. Max. in nobilissima
 hac Corona gratias toto pectore ago,
 quòd TETANTÆ EXPECTATIONIS, &
 TAM PRÆCLARÆ INDOLIS PRINCI-
 PEM, ANNO LXXIV. DIE QVINCTA MARTII,
 AMBERGÆ IN SUPERIORE PALATINA-
 TV nasci: & Heidelbergæ auspicijs ILLU-
 STRISSIMI & TOTO ORBE CLARISSIMI
 PRINCIPIS ET DOMINI, DOMINI IO-
 ANNIS CASIMIRI COMITIS PALATINI
 AD RENVUM PATRVI, ET TVTORISTVI
 DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI in-
 stitui, & tam fideliter & diligenter educa-
 ri voluit, ut non tam de priorè nativitate,
 quàm de tua hac Regeneratione & planè
 Cœlesti Nativitate gaudeamus & tibi cer-
 tatim gratulemur.

Ceterum, quia optimis procul dubio

omnibus Natalis tuus dies in ipsum FRIDERICI diem incidit, ut te *illa dies ad magna virtutis opus* perpetuò excitet: & intelligat tua Celsitudo, ad quid te *avitum FRIDERICI nomen* vocet: ad quid deniq; sis natus, & nobis atq; Ecclesiæ donatus: faciendū mihi putavi, ut de FRIDERICIS, imprimis autem de FRIDERICO TERTIO, SEPTEMVIRO, AVO TVO, LAUDATISSIMÆ MEMORIÆ PRINCIPE, qui P H C O G N O M E N inter omnes pios sortitus est, cōmemorabilia quedā hoc tuo natali die recitarē, quantū qdem in hac temporis angustia, & in tanta tenuitate ingenii, & exilitate orationis meæ fieri potest. Alexāder certè non à quovis pictore, sed ab Apelle tantū pingi, & à Lysippo fingi, tanquam summis artificibus volebat: quòd illorum artem sibi gloriæ fore putaret. Sed cū nulla tanta existere possit ingenii ubertas, nulla tanta dicendi copia, nullum tam divinū genus orationis, quod FRIDERICORVM laudes complecti & percensere promeritis queat: satis erit eas utcunque adumbrare, donec omnium illarum laudū in te, FRIDERICE QVARTE, exprefissimā vivam.

vivamq; formam aliquando, quod speramus & optamus, intueamur.

Dicam itaq; primum, sed perpauca, de FRIDERICO PRIMO, COGNOMENTO BARBAROSSA, qui circa ANNUM DOMINI Fridericus Barbarossa. c. l. ii. magno omnium procerum consensu IMPERATOR electus est. De quo Abbas Vrsbergensis: *Princeps erat armis strenuus, inquit: acer animi: exercitatus in bellis: in consiliis providus: in negotiis peragendis virilis: affabilis mansuetis: superbis resistens: memoriâ excellentissimus:* In Chronico. cujus præcipui inter alios Duces fuere OTTO VVITELSBACHIVS Primus, ex quo PALATINI PRINCIPES orti perhibentur: & BERNARDVS ANHALDINVS. Tantâ interim Heros à Papa Alexandro Venetiis pedibus conculcatus fuit, quia Pontificum tyrannidem & nefariam audaciam non semel represserat.

Fridericus porrò II. Barbarossæ ex filio Fridericus I. L. Imperator. nepos, sub annum 1216. Imperator creatus, Romæ coronatus, fuit Princeps pacis amans, & erga Ecclesiasticos beneficus & liberalis. Neq; tamen Pontificum Romanorum, qui virtuti præclarorum Princi-

pum semper inviderunt & obstiterunt, declinare tyrannidem & furores potuit. Quo factum est, ut ab illis ipsis, erga quos profusus fuerat, postea fuerit excommunicatus: quam Pontificum detestandam ingratitudinem taxat Abbas Ursbergensis, qui illis temporibus vixit.

Fridericus
III. Im-
perator.

FRIDERICVS III. AVSTRIACVS ANNO 1440. Imperator electus, *juvenis XXVIII. annorū: sed moribus & iudicio senex, optatam pacem, inquit ALBERTVS KRANTZIVS, Ecclesie & Reipub. restituit.* Eodem tempore claruit FRIDERICVS PRIMVS COMES PALATINVS AD RENVM,

Fridericus
primus Pa-
latinus.

LVDOVICI BARBATI FILIVS, TUTOR PHILIPPI NEPOTIS FIDELISSIMVS: cuius à primis annis robur animi & corporis insigne extitit: quorum illum bonis literis excoluit: corpus verò variis laboribus militaribus imprimis exercuit. *Quem enim, inquit Vegetius, vel plura, vel meliora scire oportet, quàm Principem, cuius doctrina omnibus subditis prodesse debet?* Et fuit nihilominus bellator fortis & strenuus. Quòd autem à nonnullis der boſe Fris/ id est, malus vel durus Fridericus cognominatus

minatus fuit, id debetur Pontificum & Monachorum malitiæ: quibus exosus fuit: quòd eorum flagitia ulcisci soleret: & quia iustissimæ causæ Dietheri ab Isenburg Electi Moguntini Episcopi, contra Impii Papæ, qui sc̄ Pium cognominabat, iniustas molitiones, patrocinium susceperat: in qua defensione singulare Dei auxilium sensit, fuis non procul ab Heidelbergâ, & captis tribus Principibus, quos contra eum Papa armaverat: Quæ historia cum sit factis nota: Venio ad Fridericum II. COM-
 TEM PALATINVM ET IMPERII SEPTEM-
 VIRVM, qui inter Palatinos Principes diu-
 tissimè vixit: pervenit enim usq; ad annũ
 ætatis septuagesimum tertium. Is tamen si
 ab ineunte ætate in peregrinis aulis, Hi-
 spania & Belgio, sub Philippo Rege, item
 Maximiliano & Carolo Imperatorib; vi-
 xerat, & cum exteris gentibus commercii
 multum habuerat: nunquam tamen vel
 generosa ejus indoles inflecti, vel studium
 & pietas erga patriam imminui potuit.
 Tanti cum certè Imperator Carolus fecit,
 ut bis exercitui, qui Imperii Romani no-
 mine Turcæ Austriam devastanti oppo-

Fridericus
 II. Palati-
 nus.

nebatur, præfecerit: & in plerisque Comitibus Imperii eum inter primos ad consilia secretiora, & gravissimas deliberationes adhibuerit. Sed & ille bonus Princeps, si quis alius, aulicam & Hispanicam infidelitatem, invidiam & inconstantiam expertus est, & postquam multis laboribus, ut pacis Germaniæ studiosissimus erat, exhaustis, dissidium, quod inter Cæsarem & Protestantantes propter Religionem exortum erat, componere studuisset: protestantibus & Evangelicis bonam tandem operam navavit, & subditis suis libertatē aliquam in Religione concessit: imò de plena Reformatione, referente ipso Sleidano, cogitabat, accersitis Argentinā aliquot Theologis, nisi ejus consilia, dubiis illis temporibus, nimius metus Hispanici successus & furoris retardasset.

Sed nec ejus SUCCESSOR OTTO HENRICVS, MAGNANIMVS ALIÀS PRINCEPS, proptercitius abruptum vitæ cursum feliciter incoatā Ecclesiarum reformationē, quas à plerisque superstitionibus Pontificiis repurgaverat, absolvere potuit. Nam, quemadmodum olim Templi Hierosolymitani

lymitani ædificium SALOMONI (quod nomen apud Hebræos Pacificū, sive Fridericum significat) à Domino Deo destinatum erat: ita plenior Reformatio, & rerum Ecclesiasticarum constitutio FRIDERICO TERTIO PIO reservabatur: quod hac occasione & hoc progressu factum est, ut nunc recensebo:

Postquam in Ottone Henrico desisset LUDOVICI BARBATI stirps, qui primogenitus erat REGIS RUPERTI, & reliqui duo filii Ruperti IOANNES & OTTO hæredes non reliquissent: ex STEPHANO autem quarto Regis Ruperti filio orti esset SIMMERENSES PRINCIPES PALATINI: ex illa familia FRIDERICVS TERTIVS, DVCIS IOANNIS SIMMERENSIS FILIVS, primus ad Electoratum pervenit: cum Otto Henricus anno LIX, mense Martio diem suum Heidelbergæ placidè obiisset. DE FRIDERICO autem TERTIO verè dici potest, quod Eusebius de Constantino Magno scribit: cum nimirum in tyrannorum ædibus, ut & Moysen in Aegypto educatum fuisse: & Deum interea utriusque operâ postea usum ad tyrannos puni-

Lib. 1. de
vita Constantini
M. cap. 2.

endos. Nam & FRIDERICVS TERTIVS
 (quod ex ipsius Celsitudinis ore sæpe in-
 tellexi) in acerrimorum hostium Religi-
 onis Evangelicæ, tum in Lotharingia, tum
 in Erhardi à Marcka Leodiensis Episcopi
 nec non in Imperatoris Caroli, dum in
 Belgio esset, aula educatus fuerat: & usq;
 ad virilē constantemq; ætatem inter me-
 dios Pontificios vixit: donec desponsatâ
 ei fidissimâ conjugē MARIA, CASIMIRI
 MARCHIONIS BRANDEBVRGICI ONOL-
 SBACENSIS filiâ, EVANGELICIS sese adjū-
 gere cœpit: & Culnbaci primū: deinde
 Ambergæ, in quibus locis Proprincipem
 egit, Evangelicam doctrinam palàm pro-
 fessus est. Non parum autem, ut ejus Cel-
 situdinem sæpius commemorare memi-
 ni, duo hæc tam ad veram Dei notitiam,
 tum ad *σωτηριαν* Christianam erga affli-
 ctos OPTIMVM PRINCIPEM præpararūt: *Pri-*
imum, quod ipsi initio, etiam conjugato,
 & multorum liberorum patri res erat an-
 gustior domi: quæ cōditio & ad diligentio-
 res preces, & ad temperantiâ stimulus, &
 frænum arrogantiae: ejusdemq; recorda-
 tio, modestiæ per totam vitam magister
 ei fuit.

ei fuit. Deinde, quòd sceleratam vitam in Cardinalibus, Episcopis & aliis summis Pontificiis, quibus familiaris fuerat, & qui Ecclesiæ columnæ videri volebant, deprehenderat: quæ res ejus Celsitudini mature persuasit, *Hominem non justificari operibus suis*, & rectam esse Evangelicorū, quorum libros attentè legebat & examinabat, de justificatione sententiam: quod ipsum PARENTI SVO ILLVSTRISSIMO DVCI IOANNI, qui aliàs per totam vitam Pontificiæ Religioni addictus fuerat, & paucis antè mensibus, quàm Amberga ad Electoratum vocaretur Frideric⁹, diem suum obierat: per Dei gratiam tam commode in ipso mortis articulo suggesterat, ut DVX ILLE IOANNES SIMMERENSIS, ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS NOSTRI DOMINI Administratoris AVVS, paulò ante mortem profiteretur, se in solo Christi merito omnem spem suam collocare: atque ita in ardentissima invocatione nominis Christi, vitam feliciter clauderet.

Cum porrò OPTIMVS PRINCEPS FRIDERICVS, qui juvenis adhuc in bello contra Turcas SIGNIFER IMPERII fuerat,

& laudem non vulgarem in illa ætate adeptus erat: Ambergâ ad Electoratum capeffandum veniret: cum statim graves molestiæ exceperunt. Nam neque ita ab idoneis, fidis & exercitatis Ministris instructus erat: & duobus circiter mensibus ante OTTONIS HENRICI mortem turbas varias Heshusi^o excitaverat, qui cum Collegis societate colere non poterat; quam nec postea alibi diu fovere potuit. Hic admirabilem statim in initiis gubernationis prudentiam & æquitatem ostendit ELECTOR FRIDERICVS. Nam cum illas de Religione controversias graves, & iudicia Ecclesiastica, cum summa æquitate & prudentia, administranda esse videret: duo sibi facienda esse putavit, ut bonam conscientiam & laudem moderati & sapientis Principis retineret.

Primum enim a legato Camerae Secretario Stephano Zirlero, viro industrio, VVitebergam, clarissimos tum temporis Germaniæ Theologos, nominatim incomparabilem illum virum PHILIPPVM MELANTHONEM, de illa causa consuluit: & eorum consilio eos, qui irrecõciliabilia

billia odia exercere videbantur, & velut fa-
 ces erant dissidiorum, summovit. *Deinde,*
 ut doctrina controversa explicaretur, Di-
 sputationem sive Colloquium publicum
 de *Eucharistica* anno LX. haberi voluit:
 cujus Exegetin Lipsenses, nescio quo con-
 silio, ante biennium in lucem ediderunt:
 in quo Colloquio Elector cum aliis mul-
 tis facilè deprehendit adversam quidem
 partem, nempe Turingicos Theologos,
 qui tunc aderant, dicendi quadam facul-
 tate, aut potiùs linguæ volubilitate & au-
 dacia: eos autem, qui nostram sententiam
 defendebant, simplicis veritatis solida &
 ingenua defensione esse superiores: quam
 nostram de Cœna sententiam ille ipse *Stöffelius*
 Theologus Turingicus, qui tum sese no-
 stris opponerebat, postea amplexus est.

Anno sequenti, nempe LXI. ad Naum-
 burgicum conventum profectus est Pius
 Elector, ubi cum LANDGRAVIO PHILIP-
 PO SENIORE, LAUDATISSIMO PRINCI-
 PE, Flaccianorum conatus & consilia, qui
 dissentientes à se Ecclesias damnare vole-
 bant, fregit & dissipavit, & cum præcipuis
 Imperii ordinib⁹ Evangelicis AUGUSTA.

NÆ CONFESSIO NI recognita & à PAPA
LIPPO explicata subscripta.

Anno LXII. in solennibus illis Imper
rii Comitiiis, Frācofurti ad Mœnum habi
tis, MAXIMILIANVM ROMANORVM REGEM cū
Collegis Septemviris elegit: & perfecit, ut
in plenis Comitiiis ILLVSTRIS. PRINCIPIS
CONDEI LVDOVICI BORBONII & Ecclesiarum
Gallicarum legati benignè audirentur:
quibus postea, sociis LANDGRAVIO PRINCIPIS
PE & DVCE CHRISTOPHORO VVIRTEMBER
GICO, suppetias tulit. Prælectæ enim illis
in comitiis fuerant literæ Reginae matris
ad Principē Condeum: quibus ejus opem
pro se & liberis contra hostium insidias &
machinationes implorabat.

Anno LXIII. ut in Palatinatu non tam
Catechesis quàm certa *Hypotyposis totius
Religionis Christianæ*, & certa forma do
ctrinæ extaret: Catechesin majorem, quæ
adhuc hodie usurpatur, ex fōtibus Israëlis,
nempe ex scripturis sacris desumi, conscri
bi, & publicari curavit.

Anno LXIV. quia nova certamina, eaq;
periculosissima de Persona Christi, ab Vbi
quitariis moveri videbat: ut vel illa dissi
dia sopirentur: vel errores illi saltem, quos

adversarii splendidis titulis de Majestate Christi & de Sessione ejus ad dexteram Patris ornabant, patefieret & agnoscerentur: in Maulbrünense Colloquium consensit: cui interfuit attentissimus & patientissimus auditor: de quo plura commemorare non est necesse: cum Latino & Germanico sermone edita sint illius Colloquii acta.

Anno LXVI. (ô turpem notam nostrorum temporum!) cum à nonnullis, qui conjunctissimi ejus Cels. esse debebant, optimo & innocentissimo Principi insidiæ struerentur, & de eo de dignitate Electorali deturbando, vel gravi etiam multando consilia clam à Philistæis simul & Idumæis inirentur: & ideò dissuaderent multi, ne ad comitia Augustana proficisceretur: **FORTISSIMVS ELECTOR**, qui nec rebus asperis unquam fractus fuit, nec secundis elatus, bona causâ, bonâ conscientia, & bonitate divina nitens, *Augustam* venit, die admodum ferendam, & procedente ei obviam de more *Imperatore*, cum tanta Electorum & pœtuum frequentia, ut vix tam solennis receptio alicujus Electoris, Patrum nostrorum & nostram memoria sit visa: quo

tempore, procul dubio memor fuit optimus Heros ejus, quod Psal. 18. canit Regius Psaltes: *Fecisti subtus me curvari & vel invito sese mihi subicere persequentem me.* Quid autem accidit? Paulò post, is cui tantus honos exhibitus fuerat, ad supplicium tantum non postulabatur. Nam XIV. Maji in pleno, Cæsareæ Majestatis, Electorum & Principum confesso, verba faciente nomine Imperii Doctore Iohanne Vlrico Zasio Procancellario, graviter inter alia de novatâ doctrinâ & de Catechismo Calviniano, & cum Augustana Confessione non consentiente, in suam ditionem introducto, accusatus fuit: ad quam accusationem, postquam paululum digressus esset, his verbis, quæ propria manu ejus Celsitudinis annotata extant, respondit:

Etsi accusationum & supplicationum contra me exhibitarum exemplar impetrare hætenus vix potui: tantum mihi tamen de Cæsareæ Majestatis æquitate polliceor, fore, ut non ab executione initium faciat: sed meam quoque defensionem, quam vel in medio foro Vinario hujus
urbis

urbis eoram omnibus, si opus esset, intrepidè instituire paratus sum, clementer audiat & expendat. Et quantum quidem ad Religionem attinet, profiteor, me in iis, quæ conscientiam concernunt, unicum agnoscere Dominum, qui Dominus est Dominantiû, & Rex Regum: neq; enim hîc agitur de Cappâ Carnis plenâ, *Es ist nit vmb ein Kappen vol Fleisch zuthun:* sed de anima & ejus salute agitur: quam soli servatori Domino meo IESV CHRISTO & debeo, & ab illo acceptam sanctè custodire teneor. Ideò Cæsareæ vestræ Majestati jus illud, quod Domino meo IESV CHRISTO soli competit, cōcedere nec possum, nec debeo. Quid per Calvinismum intelligatur, cùm Calvinii libros nunquam legerim: bonâ conscientia testor, me ignorare, sed Recessui Francofurtensi, & Augustanæ Confessioni Naumburgi, cùm aliis Principib⁹, quorum pleriq; præsentibus adfuit, subscripsi: in qua sententia & Religione adhuc persevero: non aliam ob causam, quàm quòd in libris Veteris & Novi Testamenti fundamentum habet: Nec existimo, aliquem esse, qui verè de-

monstrare possit, me aliquid contra illam doctrinam egisse, aut recepisse. Quantum ad meam Catechesin attinet, illam de verbo ad verbum ex scripturis, non ex humanis scriptis desumptam esse ostendunt loca scripturæ in margine annotata: quapropter frustra etiam nescio qui Theologi eam impugnare conati sunt: quod quàm sine ratione fecerint, ipsis est publico scripto ostensum. Quòd autem aliàs in pleno Electorum confesso coram Cæsarea vestra Majestate dixi; Si quis inveniatur, qualiscunq; sit amicus aut inimicus, cujuscunq; ordinis, ætatis, sortis; etiam si vel abjectissimus stabularius esset, qui ex sacris Bibliis meliora docere possit, me illi gratiam summam habiturum, & veritati Divinæ libenter cessurum: Id ego nunc, in hoc totius Imperii confesso repeto: si quis adsit ex Dominis & amicis meis, qui id in se suscipere velit, paratum me esse cum audire: & sunt hæc sacra Biblia ad manum (quæ tunc pii patris filius Dux Casimirus serenissimo parenti adstans gestabat:) Sin vestra Cæsareæ Majestati luberet, illum laborem

rem in se suscipere : id ego summi beneficii loco haberem, & debitâ cum gratitudine admitterem. Hac mea declaratione spero vestram Cæsaream Majestatem contentam fore : sicut etiam conscientiaæ meæ vim facere noluit vestræ Cæsareæ Majestatis parens, Imperator Ferdinandus, laudatæ memoriæ : licet ipsi pergratum fuisset, si in Coronatione vestræ Majestatis Francofurti Missæ Papali interesse voluissem. Verùm si meæ hujusdefensionis, & propositarum æquissimarum & Christianarum conditionum, contra spem meam ratio nulla habebitur : illud meum erit solatium, quòd Dominus & Servator meus CHRISTVS IESVS mihi & aliis omnibus credentibus promisit, fore, ut quicquid in his terris propter ejus gloriam & nomen amiserimus, id centuplò in illa vita refundat.

Hac oratione percussi omnes & intenti in MAGNANIMVM PRINCIPEM, ora tenebant, nec ullus fuit, qui aliquid opponeret. MARCHIO autem CAROLVS DVRLACENSIS laudatæ memoriæ, ægrè
 D 2 ferens,

ferens, tam severum processum contra tantum Principem, tam Religiosum, tam venerandum institui, paulò post conversus ad aliquot Principes dixit: *Quorsum bonum hunc Principem qui plus pietatis habet, quàm nos omnes, direxamus?*

Aliquot post diebus, cum Cæsar longè mitior factus esset, & per Dominum de Heusestein Electorem invisit & clementer saluari curaret: PRINCEPS ELECTOR certis negotiis eum domum revocantibus paulò ante finem Comitiorum Cæsarem Majestati valedixit, & clementer ab illa domum dimissus est. Sed ea ipsa die, qua abitum parabat, cum Principes protestantes unâ cum absentium legatis in ejus, tanquam Electoris Primarii palatio convenissent, & quæreret à singulis Elector, an aliquis esset ex ipsis, qui ejus Celsitudini de iis rebus, quæ ei coram Imperio propositæ fuerant, litem movere vellet: nemo fuit, qui aliquid adferret: sed plerique demisso in terram vultu, Magnanimi Herois, quem alii in Comitibus exautorandum, alii graviore poena multandum putabant, constantiam & animi præsentiam admirabantur.

Cum

Cùm igitur prandio eos omnes excepisset Elector, & eis valedixisset, salutatis etiam Ecclesiast. Electorib⁹, quos unâ apud Cai-phâ id est apud nunciû Papæ congregatos, & magna de spe dejectos, totosq; attonitos reperit: lærus & canticû novum in pectore Deo canēs optim⁹ princeps, die 24. Maji sub vesperam Augustâ discessit, relictis ibi primariis cõsiliariis, qui Celsitudinis ejus nomine conclusioni Recessus interessent. O heroëm immortali laude dignum, quẽ in tali confessu, in tantis periculis & insidiis non puduit testimonii Christi! ô impudentes, malignos & inhumanos illos tenebriones Theologastros, qui, cùm illius Herois nec venerandum vultum sustinere potuissent, nec minimis se offerentibus periculis aliquam partem ejus Constantiæ imitari: illum Heroa, quem totum reverebatur Imperium, tanquam sacramentarium & hæreticum maledicis verbis & scriptis traducere non sunt veriti.

At vereor ne modum excedat Oratio: ideò quod superest, paucis absolvam.

Anno L X V I I. vltima Octobris diem suum obiit diuturnis & gravibus morbis.

cōfecta. ILLUSTRISSIMA ET PISSIMA
 ELECTORIS CONIVNX, MARIA BRAN-
 DEBVRGICA, ex qua filios sex, & quinque
 filias susceperat: & quam FRIDERICVS
 PIVS, ut ex ejus ore audivi, ad suam de Eu-
 charistia sententiam, à qua antè alienior
 erat, facile traduxit: postquā ci istud Axi-
 oma persuasit: *certitudinem dogmatum
 Christianæ Religionis, non ab hominum aut
 doctorum, qualescung, illi sint, autoritate
 pendere: nec fidendum quid hic vel ille, quā-
 tumvis eximius Doctor, sed quid, qui ante
 omnes est Christus, docuerit: Antea enim
 credebat Optima Principissa, nefas esse, vel à
 Lutheri, vel à sui cōcionatoris aulici, Oto-
 mari cujusdā Stabii sentētia discedere: quæ
 opinio adhuc hodie multos proh dolor,
 dementat & decipit. Incunte anno LXIIX.
 à Pio Electore, q̄ verè credebat *communione
 sanctorum*, & calamitatibus Ecclesiarum,
 non minùs quàm suis afficiebatur, in Gal-
 liam mittebatur cum exercitu Illustrissi-
 mus Princeps & Dominus. D. IOANNES
 CASIMIRVS, ut Principi Condeo, Amira-
 lio & aliis Gallia Proceribus, atq; Ecclesiis
 afflictis opem ferret: in quo bello licet ty-
 rocini-*

rocinium ejus Celf. faceret, memini tùm fortitudinem, tùm prudentiam, tùm fingularem humanitatē juvenis adhuc Principis omnibus fuiffè admirationi.

Anno LXIX. secundas nuptias cum inclyta & religiosa Domina, Amelia Comitiffa à Neunar Baronis Bredrodii viduâ reperit Elector Fridericus.

Anno LXX. cum Spiræ comitia haberentur, Cæfar Maximilian⁹ Electorem invifere voluit, cujus Cæfaræ Majestati idē propè contigit, quod de Athanarico Gothorum Rege memorat Historia Ecclesiastica: qui, cùm à Theodofio invit⁹ Constantinopolin veniffet, & Principis pietatem, justitiam, & modestiam confideraffet, dixit, fe agnofcere hoc Imperiū à Deo ordinatum, nec fore felices eos qui evertere conentur. Sic Maximilianus hujus Herois candorem & pietatem mirari fatis non poterat.

Nec prætereundum est illud, quod in oppido huj⁹ præfecturæ *Wijeloch*, Elector Fridericus post multa pia & præclara de Repub. cum Imperatore colloquia ejus Cæfaræ Majestati Biblia in linguam Hi-

spanicã conversa his utens verbis, obtulit: *Munus offero, Caesar, quod Casareæ V. Majestati gratũ esse debere existimo, primũ, quod Thesuros omnibus thesauris anteponendos hic liber complectitur, & rationem quã Imperatores, Reges & Principes feliciter gubernare possunt, ostendit: deinde, quia ea lingua est expressus hic liber, quã C. M. delectatur.* Accepit Cæsar munus benignè, & promissit se lecturum.

Verũm Sathanas sibi semper similis & pio Electori felicem rerum successum invidens, non solũ infelicem & intemptivam de Disciplina Ecclesiastica controversiam, quæ tunc ferè omnem & disciplinam & caritatem & modestiam multis excutiebat, toto ferè biennio excitarat: verũetiam quosdam, qui tunc primi omnium rerum esse volebant, ita excitaverat, ut ad Turcicas & Arianas opiniones delaberentur. Illæ turbæ, illa scandala quantoperè pium Electoris pectus cruciarint, dici nõ potest. Verũm quid agas? *Vt Latrones non struunt insidias pauperibus, & vacuã crumena habentibus, sed is, qui multã pecuniã onusti sunt: Sic Diabolus, inquit Cyprianus, eos querit*

Lib. 1. Epist. 1. lib.
3. Epist. 1.

quarit de jicere, quos videt stare, & iis Magistratibus ac coetibus maximè infidiatur, quos Christo videt sincerè servire: quos pietate, aliisq; virtutibus esse instructos: in quibus deniq; Christum cernit habitare. Quare infractus & imperterritus Elector, memor sui illius Symboli: *Herr nach deinem willen*/ Domine juxta voluntatem tuam: divinæ providentiæ, cujus nutu omnia geruntur, sese submisit: & interim eorum quæ religiosi & fortis Principis sunt, nihil prætermisit. Ex verbo Dei enim aliquoties, ipsius Celsit: præsens reos convinci, & de iis, qui contra Religionem simul ac patriam cōspirabant, & comprehendendi tunc potuerunt, ultimum supplicium sumi curavit: ut in æternum illorū Diabolica Calumnia coram Deo & hominib; refutaretur, qui nostram sanctā Religionē cum Arianismo aliquid cōmercii habere contra conscientiam calūniantur.

Anno LXXIII. cum hāc iter haberet & inexpectatus parumq; gratus hospes huc usq; ad Electorem excurreret HENRICVS, tunc DVX Andegavensis ELECTVS POLONIÆ REX: Deus bone, quā

Symbolū
Friderici
III. Elect.

gravi illum Oratione in suo conclavi
 (in quo tunc fortè appensam habebat ma-
 gni illius Gallix Amiralii Casparis Coli-
 gnii imaginē) de lanienæ Parisiensis enor-
 mitate, & conciliato Gallix Regibus
 æterno dedecore admonuit PIVS FRIDE-
 RICVS: linguæ Gallicæ peritus: & Latine
 quoque non ignarus: quam orationem
 saluberrimis præceptis de ratione feliciter
 gubernandi in Polonia temperavit.

Anno LXXIV. cùm nuncium illud in-
 faustum adferretur de cæsis Ducis Christo-
 phori filii, & Comitis Ludovici Nassovii
 copiis, quas illi in subsidium PRIN-
 CIPIS AVRAICI & Belgicarum provin-
 ciarum ducebant: & de morte tamen
 Christophori Ducis nihil adhuc comper-
 tum haberetur: videret autem plerosq; ex
 suis consiliariis mœstos: *Bono animo esto-
 te, inquit, Scio filium meum natum esse mor-
 talem. Quod si Dei fuit voluntas, eum in il-
 la expeditione mori: malo illum pro bona
 causa fortiter depugnantem occubuisse:
 quam domi in ocio, à vitiis, quæ pulvinar il-
 lud Sathanae, otium inducit, expugnatum
 contabuisse.*

Et ut

Erut tandem concludam, & ad ultimã
periodum ejus vitæ veniam: Posteaquam
PIVS ELECTOR, An. LXXVI. sub finem mē-
sis Augusti Illustris. Principem Ducem
IOANNEM CASIMIRVM, quem & obedi-
entissimum sibi semper expertus erat, &
unicè diligebat, ex secūda expeditione in
Galliam, pace conciliatã saivum & inco-
lumem superatis multis insidiis, & diffi-
cultatibus sibi à Deo restitutum magna
cum lætitia excepisset: & paulò pòst nun-
ciũ afferretur de morte Imperatoris Maxi-
miliani: *Næ ego, inquebat, Princeps jam
plusquam sexagenarius hujus vitæ quoque
pertæsus cum Simeone lubeus dicerem: Nunc
dimittas DOMINE servum tuum: si mihi
à DOMINO DEO prius concederetur, no-
vum & juvenem DOMINVM nostrum Im-
peratorem salutare: & filium meum Pri-
mogenitum Ducem Ludovicum adhuc semel
ante mortem videre, & utrumque de non-
nullis ad Reipub. Christianæ commodum per-
tinentibus admonere. Nam illi proculdu-
bio, inquebat, & canitiem meam revere-
rentur & animi mei sinceritatem & sum-
mum erga se studium ex meis Colloquiis in-*

telligerent. Sed quid accidit? Ecce visum
 est Deo, sanctam illam animam, quæ toti-
 es tot gemitus effuderat, & diu bonā mi-
 litiā militarat, bravio donare & ad se evo-
 care. Morbus autem fuit capitis gravedo
 (νάρξον Medici vocant) & accedebat aliquid
 Hydropis, quem morbum extra ordinem
 se urgere sentiens: quadriduo ante mortē,
 posteaquam me, qui tunc ejus Celsit: erā
 à concionibus, ad se vocasset: *Satis ego* (in-
 quit) *vobis & Ecclesie vixi: me jam ad me-*
liorem vitam vocari sentio & gaudeo. Pra-
stiti ego quod potui in gratiam Ecclesiarum:
Sed potui parum: Is qui omnia potest, & an-
te quā natus essem, Ecclesiam suam con-
servavit, vivit & regnat in cælis: qui Ec-
clesiam suam non relinquet orphanam: Nec
inanes erunt meæ preces & lacrymæ, quas
toties in hoc conclavi pro meis Successoribus
& pro Ecclesiis ad Dominum Deum fudi. Su-
 pervenit paulò pòst ILLVSTRISSIMVS
 PRINCEPS DVX IOANNES CASIMIRVS
 ex conclavi suo ad Patrem vocatus: qui
 optimo parenti optima officia ad extremum
 usq; Spiritum præstitit: & felicissima migra-
 tionis parentis ex hac vita spectator fuit: ipse
 qui

Augusta optimo parenti in gravissimis illis certaminibus adsuerat: in ultimo quoque Agone fidissimus & officiosissimus adsuit.

Tanta verò fuit optimi illius Principis Electoris in ipsa morte pro Ecclesia sollicitudo: ut, cum ejus Celsitudinem pridie mortis exhilarare vellet filius CASIMIRVS, nunciaretq; ei læta quædam, quæ tunc de Antuerpianæ Ecclesiæ statu adferebantur, velut novos spiritus resumere sit visus, & de manu filii carissimi aliquid cibi sub horam coenæ sumpserit, paulisperque in conclavi sustentatus à conjugè & à filio Casimiro inambulaverit, & placidè illa nocte dormierit. Postridie ingravescente illo sopore letifero, cum ejus Celsitudini cap. 17. Ioannis, & postea sub vesperam Psalmum 31. paraphrasticè prælegissem & preces habuissemus: media quarta vespertina, die ipsa AMANDI, quæ tum erat 26. Octob. Amandus ille Princeps, qui anno 1515. die 14. Feb. natus erat, feliciter in Christo obdormivit. Multa præterea præclara dicta ex scripturis, quæ ante mortem recitabat: prætereo & Confessionem illam fidei luculentam, quam suo

Testamento inferi voluit: quia illa omnia statim post ejus obitum ex Illustrissimi Principis Casimiri mandato Germanicè primùm, deinde Latinè & Gallicè edita in omnium manibus jam diu fuerunt. Ingratum fortasse non crit, audire Anagramma Nominis illius Principis: quod mihi tunc à viro quodam ingenioso, & Poëta non contēnendo tunc præcentore in aula Electorali exhibebatur:

FRIDERICVS TERTIVS Comes Palatinus Bojoriæ Dux & Elector.

Quod per anagrammatismum est:

Ecce Dei virtute fidem, ut Rex sacrior alter
Iosias vobis planto.

Sed quis illius incōparabilis Herois virtutes, non dico unâ oratione, quantumvis prolixâ: sed multis etiam voluminibus recensere & pro meritis collaudare queat? apud quem, pii omnes & afflicti per Germaniam, Belgium, Galliam præsidū invenerūt: quem omnes boni amarunt: mali multi reveriti sunt. Davidē Regē fidei appellare solebat Lutherus: quòd is rebus maximè dubiis de Divino auxilio bene sperarit. Tale certè Elogium illi

quoque Principi optimè convenit: qui cum aliquando á magno aliquo Principe interrogaretur, *cur non arcem aliquam aut urbem egregiè muniret, cum tot haberet inimicos: Ego, inquit ille, arcem meam inexpugnabilem habeo. Quam aiebat alter? Eam de qua David Psal. 46. gloriatur: Cin feste Burg ist vnser HErr / Deus est nobis protectio & robur: in quo auxilium invenimus abundè. Atqui, inquit barille: Vtrumq; est utile: Externum & internum præsidium. Quid quaeso vobis, respondit Elector, profuere in bello protestantium vestra arces & munitiones?*

Cæterum video me abuti patientia vestra: & nimis diu detinere tam illustre & nobile auditorium. Claudam igitur Orationem meam iis verbis, quibus D. Ambrosius suam de obitu Imperatoris Theodosii orationem clausit: *Tantus Princeps recessit à nobis: sed non totus recessit: Reliquit nobis liberos in quibus eum debemus agnoscere: in quib; cernimus eum et renemus: Reliquit te superstitem, ILLUST: ET FORTISS: PRINCEPS, ET DOMINE, DOMINE IOAN. CASIMIRE, DOMINE NOSTER CLEMENTISSIME: qui patris pietatem, ma.*

gnanimitatem, studium erga patriam & erga exteras & afflictas Ecclesias CONSTANTER ET SINCERE imitaris: & parentis optimi optimas sanctiones in Ecclesiis & Scholis redivivas esse voluisti. Reliquit tenepotē & ὁμοῦνον, FRIDERICE QUARTE, ὁ ΣΥΜΜÆ EXPECTATIONIS PRINCEPS, ET RECTOR SCHOLÆ MAGNIFICÆ: qui nobis illum Heroa es aliquando repræsentaturus: modò fidissimis & sanctissimis eximiorum tuorum Ephororum cōsiliis obtemperare pergas: modò etiam utroq; vestrū (quod absit) nostra ingratitude erga Deum nos non orbet: & sua bonā gratioribus animis agnoscat Palatinatus: nostras si denique continuas preces, nostra vota & suspiria pro utriusq; vestrū incolumitate (qui eodem mense nati estis, alter quinto, alter septimo Martii) clementissimus ille Pater cœlestis exaudiet.

Dixi.

O R A T I O

ORATIO TERTIA. 63

IN PROMOTIO-
NE CVIVSDAM DO-
CTORIS ANNO dōbLXXXVII.
HABITA, DE HIS DVAB.

QVAESTIONIBUS:

I. AN EVANGELICI
POTESTATEM HABE-
ANT PROMOVENDI
DOCTORES:

II. SITNE CONSVLTVM
REBVS PVBLICIS, TALES
PROMOVERI.



E

Priusquàm ad id me cōfero, Auditores, quod à Reverendo & Spectabili Facultatis Theologicae Decano mihi est impositum, ut videlicet in ornatissimum hunc virum, Dominum Licentiatum summi quoq; illi Doctoratus honores ac tituli solemniter rito & more conferantur, duobus hominum generibus occurrendum esse video, qui promotiones nostras insectari, aut suggillare solent, quorum alii vel Dei solius esse existimant, Doctores creare & promoveri: vel eorum saltem, qui ordinariæ longæq; successiōis cōsuetudine roborata potestate præditi auctoritatem illā habeant: non autem novorū hominum, ut loquuntur, q̄ ab ordinaria potestate discesserint, atque ideo dignitatē conferre in alios non possint, quam ipsi non habeant.

Alii verò etsi jus nostrum in dubium non vocant, subdubitant tamen, utrum boni plus an mali afferat hominibus & civitatibus tanta Doctorum copia: cū, si quis nostrarum Rerum publicarum & Ecclesiarum detrimenta consideret, quæ admodum de Oratoribus loquitur Cicero lib.

ro lib. I. de inventione, non minima pars
tristissimarum dissensionum, & aliorum
incommodorum per doctores inuenta
esse videatur.

Hæc, hæc, inquam, præcipua sunt, quæ
partim à Pontificiis: partim ab aliis mo-
rosulis minimè aliàs malis, nec à Religio-
ne Evangelica alienis, contra nostras obji-
ci, p̄motiones solent. Quibus breviter &
Dialecticè respondebimus: quandoqui-
dem, ut bona valetudo non multis phar-
macis, sic nec bona causa longo orationis
circuitu indiget; & locus ac tempus di-
cendi ceteris clarissimis Dominis promo-
toribus intercipi non debet.

Ad priores ergo quod attinet: illi, ni fal-
lor, in duos Elenchos impingunt, ὁμοθυμίᾳ
scilicet, & Petitionis Principii. Nam creare
quidē, facere & p̄movere Doct. si p̄priè ac-
cipiatur, Dei soli⁹ est: ἢ γὰρ ἰκανότης ἡμῶν
ἐκ τῶ θεῶ, inqt̄ Apostolus. Et Christus is est
omninò, qui in cœlū ascendit, & dat ποι-
μένους καὶ διδασκάλους, pastores & doctores;
ut te statur idem Apostolus, ad cōagmen-
tationem sanctorum, & ad opus Ministe-
rii: Imò, ut monet Augustinus in libro
quē de Magistro inscripsit: *Christus propriè*

2. ad Cor:
cap. 3. v. 5.

Eph. 4. v:
11. 12.

Tom. 1.

docet: homo admonet; intus enim cor flectit
Dominus & dat sapientiam & cognitionem,
 quæ ipsius munus est: quo nomine verus
 & unicus Doctor ac Magister appellatur
 Matth. 22. creari autem & promoveri in
 Scholis dicuntur doctores, non quod tunc
 vel docti primùm vel idonei ad docendū
 evadant: sed dum post legitimam explo-
 rationem tales renunciantur, certisq; riti-
 bus consecrantur & publicum ferunt suæ
 diligentiæ ac virtutis testimoniū, ut viretur
 in Ecclesia & Repub. ἀγαθία, & ad virtutis
 & sapientiæ amorem juventus excitetur.
 Fuerunt enim ipsis Prophetis temporibus
 distincti gradus docentium & discen-
 tium, quorum hi filii, id est, discipuli Pro-
 phetarum vocabantur: sicut & in illa ipsa
 Tribu Levi Ecclesiasticis consecrata mu-
 nerib⁹ diversi ordines fuere, Levitarū scili-
 cet. Sacerdotum, & summi Sacerdotis: &
 in N. T. non omnes Prophetæ, nō omnes
 Doctores, sed distincti illi tum ab audito-
 ribus, tum à pastoribus & Evangelistis: li-
 cet quoad ritus inaugurales non eadem
 semper fuerit observata ratio: & à non-
 nullis Imperatoribus Laudatissimis or-
 namenta

namenta & privilegia peculiaria, nominatim ab Imperatore Lothario in Licētiatos & Doctores fuerint collata. Sed hīc magna cautione opus est, ne talia testimonia indignis & indoctis tribuantur. Rectē enim Canonistæ, Panormit. Aretinus, Felinus & alii magno consensu definiunt, non esse agnoscendos Doctores, nec gaudere posse Doctoratus privilegiis, qui indocti sint vel inepti ad docendū. Sic Bartol^o in Codice de Annonis civilibus libro II. lege I. statuit, *non dari salaria, & stipendia propter Titulos, quod quis sit Doctor aut Licentiatus: sed propter officium.* Et hanc quidem laudem præ multis, habuit jam diu Heidelbergensis Academia, quod explorationes fiant accuratiores, & non temerè admittantur ad gradus illos sūmos, nisi quos constat singularibus à Domino Deo ornatos donis esse.

Venio ad alterum Elenchum, qui est petitionis principii: quādo hodie Iesuitæ & alii Pontificii potestatem creandi, mittendi, promovendi doctores, aut pastores nobis detrahunt, & à potestate ordinaria discessisse, nullumq; jus mittendi, aut pro-

movendi habere vociferantur: in quo argumento tractando cò brevior ero, quòd de hac re p̄pediem publicam disputationem, Deo volente, instituemus.

Illud verò, inquam, est principiū petere: Potestatem omnem ordinariam esse penes Papam, & eos qui ab ipso ordinantur: Nos autē omni potestate carere cūm ejus imperium non agnoscamus, & ab eo excommunicati simus.

Nam hæc Axiomata de potestate Ecclesiastica immota sunt, & cōstanter hæc enī Pōtificiis opposita ab Evangelicis fuerūt.

Primum: Potestatem Ecclesiasticam ita à Divo Paulo circumscribi 2. Cor. 13. ut affirmet, *nos nihil posse contra veritatem: sed omnia pro veritate*. Cūm ergo potestate sua ad veritatem Evangelii & gratuitæ justificationis opprimēdam abutatur Papa, non solūm potestatem suam coram Deo amittit, verumetiā à D. Paulo anathematizatur. *Alterum* Axioma est: *non esse successores sanctorum, qui tenēt loca sanctorum*, ut rectè Hieron. definit, (aliās hodie Turcæ successores essent sanctorum qui olim in Hierosolymis, Constantinopoli & alibi

r. 8.

Galat. 1.

a sibi fieri: *Sed qui faciunt opera eorum*, sicut & Tertull, de præscription. Apostolorum veros successores à *doctrina consanguinitate* potissimum vult agnosci: Papa non facit opera Pauli & Petri, sive mores sive officium spectes, nec eadem docet: sed planè cōtraria. Ergo eorum successor dici non potest. Nec temerè circūfertur illud dictum ADRIANI QUARTI, *Papam esse potius successorē Simonis Magi, quàm Simonis Petri.* Tertium Axioma est, Legitimū successorem aut Episcopum ordinarium etiam juxta Canones dici non posse, qui nō per portam, sed aliunde ingreditur, & in dignitatem aliquam malis artibus, utpote largitionibus, fraudibus, vel favore magnatū irrepit, quod de plerisq; Episcopis Pontificiis constat. *Quartum Axioma:* Excommunicatione Pontificis nihil posse nobis detrahi, cum sit ipsemet excommunicabilis, si juxta Canones Apostolicos, & ipsius Juris Pontificii procederetur. Et huc accedit illa *regula juris: Quando judex extrajudicialiter, & absq; legitima causa cognitione procedit, tunc dicitur procedere, ut privatus, nec judex præsumitur:* Sic Papa in suis excommunicationibus.

Vide Gratia. distinc.
 89. Canō.
 3. & 6. &
 12.

Ergo nullius sunt momēti, sed mera bruta fulmina ejus excōmunicationes. Imò sacrilegi pronunciantur in Decreto, qui Ecclesiam non patiuntur regulariter ordinari, quemadmodum constat Pontifices omnem reformationē respuere. Defecerunt igitur Ecclesiæ Evangelicæ, non à Potestate legitima, sed à tyrannide, non ab Ecclesia, sed ab iis, qui opprimunt Ecclesiam. Et potestatem habent Evangelicæ Ecclesiæ, à Christo summo Pontifice; quâ juxta Canones Apostolorum & sanctiones laudatissimorum Imperatorum, accedente autoritate piorum Magistratum, & consensu populi Christiani, restitutis veteribus sanctis ordinationibus, & superstitionibus explosis, utuntur. Ceterùm aliquid quoq; de altera objectione dicendum est: eorum nimirum, qui copiam tantum Doctorum, sicut & turbam medicorum plus detrimenti quam commodi adferre Rebus publicis existimant: cum tales tituli non tam eruditionē, aut pietatem quàm arrogantiam & præsumptionem animis hominum instillare videantur: unde fiat, ut perniciosus & irre-

conci-

conciliabilibus dissidiis orbis Christianus affligatur & pietas omnis profligetur. Verum enimverò qui sic loquuntur, Parallogismum non causæ, ut causæ, sicut in scholis loqui solemus, committunt. *Neque enim, quemadmodum Gratianus ipse monet, Officium sacerdotum aut doctorum confert, sed adimit potius licentiam peccandi: & ex prava corruptaque natura, non ex collatione dignitatis alicujus aut tituli oritur superbia & ambitio: quæ non Doctores solum, sed vel maximè imperitos invadere solet: quibus (ut inquit Comicus) nihil quicquã injustius: qui quod ipsi faciunt, id solum rectum putant.* Nec temerè Plato Diogeni calcanti culcitram ipsius, & dicenti: *Ecce calco fastum Platonis;* respōdit: *Calcas, sed majore fastu:* Sic multos Anabaptistas & plebejos invenias sub stramineo galero majorem arrogantiam & pervicaciam alentes, quàm Doctores sub holoserico.

Quapropter scriptura Veteris & Novi Testamenti, quoties remedia adversus superbiam & ambitionem nobis præscribit, non jubet, ut nulli sint Sacerdotes, Docto-

res, Levitæ, Pastores: sed ut meminere-
 mus, nos nihil habere quod non accepe-
 rimus; & quò plus accepimus, eò minus
 superbiamus: sicut experientia quoq; te-
 statur, eos minimùm elato animo esse so-
 lere, qui magnis dotibus sunt præditi, in-
 solentissimos verò plerunq; esse eos, qui
 nihil scientes turgent & circa inanes quas-
 dam verborū pugnas insaniunt, unde li-
 tes & maledicentiæ nascuntur, inquit D.
 v. 3. 4. 5. Paulus I. ad Tim. 6. Deniq; sicut rectè p-
 Cap. I. nunciavit Quintilian⁹ lib. I. institutionū
 Oratoriarum: *Nihil pejus est iis, qui pat-
 lūm aliquid ultra primas literas progressi,
 falsam sibi scientiæ persuasionem induerunt.*

Scopus igitur & finis nostrarum pmo-
 tionum & renuntiationum, non is est, ut
 candidatis vel ferocia vel majores spiritus
 addantur, sed ut nulli ad Ecclesiarū & Re-
 rum pub. gubernacula accedant, qui non
 legitimè explorati & vocati sint. Deinde
 ut ille honos, q̄ præmiū est virtutis, & te-
 ste Aristot. in Ethicis, Maximū externo-
 rum bonorum; studiosæ juventuti stimu-
 lus sit ad diligentiam, & justam perseve-
 rantiam in studiis, & ad liberalium scien-
 tiarum

tiarum amorē, à quibus ferrea hæc, proli-
 dolor, & Cyclopica atas nimis abhorret. Rom. 13.
v. 8.
 Et vult Scriptura ipsa honorem exhiberi
 ei cui debetur honos, & qui bene præsumt 1. Tim. 5.
v. 17.
 duplici honore digni pronunciantur.

Hæc cum ita se habeant, agnoscunt omnes
 considerati viri, modò scopuli illi inanis
 ambitionis, omnisq; superstitionis decli-
 nentur, laudabiles esse minimeq; asper-
 nandos, in illis præfertim locis, in quibus
 ea consuetudo obtinet, illos conferendo-
 rum graduū ritus, cum hac tamen cautio-
 ne, ut & studiosa juvent⁹ moneatur, ne ad
 illos gradus nimis festinet, aut minùs ap-
 parata ab eruditione & experienciâ cõvo-
 let, sitq; illud in Academiis constitutum,
 ut indignis & ignavis hujusmodi hono-
 res non tribuantur: quemadmodum ve-
 rè testari possumus, Cãdidatum nostrum,
 requisitis donis sic esse instructum, ut &
 jam pridem inclytæ Scholæ Franekera-
 næ, in qua cum laude docet, eruditionem
 suam probãrit, & ejus hisce dieb⁹ in Aca-
 demia nostra non vulgaria specimina
 ediderit. Quapropter ad illos

ritus inaugurales me
 confero, &c.

ORA-

DE RELIGIOSA
PRÆPARATIONE ADS. COENAM HABITA PRI-
DIE NATALIS DOMINI

ANNO XIIIIC.



Propinquante jam sacratissi-
ma solennitate (ut in hoc ex-
ordio Beati Augustini elegan-
tissimis & religiosissimis ver-
bis utar) qua Salvator noster inter homi-
nes nasci misericorditer voluit : attentè
considerare debemus, quomodo nos in
adventu tantæ potentæ præparari oport-
reat, ut Regem & Dominum nostrum læ-
ti & gaudētes cum gloria & laudibus susci-
pamus, & in conspectu ejus inter san-
ctorum felices cœtus gratulando exultare
possimus potius : quàm propter ingrati-
tudinem nostram & fœditatem repulsi,
inter peccatores æternam confusionem
mereamur. Ideò rogo & moneo (inquit
idem Augustinus) ut in illo die cum syn-
cera & pura conscientia & mundo corde,
& casto corpore ad mensam Domini ac-
cedamus,

cedamus, & corporis ac sanguinis Domini Sacramentum, non ad iudicium, sed ad solatium animæ accipiamus. Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam. Et licet nos omni tempore bonis operibus ornatos ac splendidos esse conveniat: præcipuè tamen in die Natalis Domini, cum tanta mysteria recolimus, & corpus ejus ac sanguinè participamus. Considerate quæso, fratres, quomodo aliquis homo potens aut nobilis natalè suum aut filii sui celebrare desiderat, & ad cõvivium te invitat, quãto studio te pares ad illud conviviũ, ne quid fordium in te, vel, si ad te divertat, in domo tua reperiatur. Si talia præparas morituro, qualia præparate debes æterno? Quicquid ergo non vis ab homine inveniri in domo tua, quantum potes labora, ut non inveniatur Deus in anima tua. Christus enim, si te ita compositum, natalitiũ suum celebrare cognoverit, ipse ad te veniet, & animam tuam non solũm visitare, sed etiam vivificare & in perpetuum in illa dignabitur habitare: sicut scriptum est:

Et inhabitabo in illis, & inambulabo: & Apocal. 3 Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis surrexerit & aperuerit mihi, intrabo ad illũ

i. Cor. 6.
16. ex Le-
vit. c. 26.
v. 11. 12.
v. 20.

Et cœnabo cum illo, & ille mecum. Quam
 felix est illa anima, quæ vitã suam ita Deo
 auxiliante studuerit gubernare, ut Chri-
 stum hospitem & habitatorẽ habeat? Sic
 ut contrã, quàm infelix est illa conscientia
 toto lacrymarum fonte lugenda, quæ se
 ita malis operibus polluit: ut in ea non
 Christus requiescere, sed Diabolus incipiat
 dominari. Non tamen de Domini pieta-
 te diffidat, qui se peccatorem sentit: nec
 mortifera desperatione frangatur: sed ma-
 gis ad pœnitentiã citò fugiat, & dum ad-
 huc nova sunt, & calent peccatorum suo-
 rû vulnera, remediũ quærat. Quoties-
 cunq; autẽ Natalem Domini aut reliquas
 solemnitates celebrare vultis, ebrietatem
 ante omnia fugite: iracundiã quasi bestiã
 crudelissimã repugnatẽ: odium velut ve-
 nenũ mortiferũ de corde vestro repellite,
 & tanta sit in vobis caritas, quæ nõ solũ
 usq; ad amicos, sed etiã usq; ad ipsos per-
 veniat inimicos, ut securè possitis dicere
 in oratione Dominica: *Dimitte nobis debi-
 ta nostra, sicut & nos dimittimus debitorib;
 nostris.* Nam qui se scit vel unum hominẽ
 odio habere, nescio an ad menses Domini
 secu-

securus possit accedere, cum præcipuè beatus Apostolus Ioan. terribile qd clamet & dicat: *Qui fratrem suū odit, homicida est.* Hactenus August. cujus vetusti & religiosi patris oratione, auditores, vos mecum incredibiliter afflci non dubito: & institutū meum, qui hodie apud vos de legitima & Christiana præparatione ad nostras solemnitates dicere institui, eò magis cōprobaturus, quòd id exemplo piæ & orthodoxe verustatis & summo cum vestro bono & emolumento fieri videtis.

1. Epist. 3.
v. 15.

Etsi autem nullus tanta rerum verborumq; copia instructus esse potest, qui vel de horū mysteriorū magnitudine, vel de digna & decente præparatione ad hæc percipenda pro dignitate differere possit: satis erit tamen nobis, qui in hac vita ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus, ut loquitur Apost. 1. ad Cor. c. 13. si p nostro captu & mediocritate nostra *tria* hæc hoc tēpore explicabimus, quæ ad legitimam & Christianā παρασκευήν necessaria vidētur: *primū*; quis nā ille sit tam liberalis & benefic⁹ hospes, q ad Cœnā illam verè mysticā & salutarē nos invitat. *Deinde*, quales epu-

las nobis, pponat: *Ac denique*, quid à suis convivis requirat, & quid ipsis quotiescunque ad istud cœleste convivium accedunt, agendum & meditandum sit: de quibus nunc sigillatim, quantum temporis brevitatis feret, differemus.

Non est, non est, Auditores, cur nos offendat hujus epuli simplicitas: & humilis species: foris omnia sunt humilia: intus omnia excelsa, aurea, divina. Nec enim externa & mundana pompa se & suas epulas veditare voluit, is qui humilis venit in mundum ut proterat superbiam mundi, & nos ad se vocat, ut à carnalibus & externis hujus seculi caducisque delitiis, ad immortalia & cœlestia bona traducat. Hujus autem Sacramenti autor est ille ipse *Rex gloriae*, quem prædicat David, Psal. 24. Is est qui initiò fuit apud Deum, per quem omnia condita sunt, qui nos initiò cum Patre & S. Spiritu fecit ad imaginem suam: ultimis temporibus mutata vice factus & ad imaginem & similitudinem nostram: assumpta vera humana natura: ut ad Dei imaginem instauraremur. Is, inquam, factus est homo, ut esset Immanuel & nobiscum

biscum Deus conversaretur. Hunc filium peperit mater, à quo ipsa nutriretur poti⁹ quam nutrireret. Hic esurire & sitire voluit, ut explerentur animæ nostræ, & ab æterna fame & siti liberaremur. Hunc adorāt omnes Angeli, & in dulci júbilo laudes ejus canunt. Hunc licet sordidis circumdatum pānis in Bethlehem, regiis ornarūt munerib⁹ orientales Magi. Cur nos hunc Regem parantē nobis Cœnam magnam, & benignissimè invitantem, & tùm in prædicatione verbi, tùm in usu Sacramentorum se se nobis offerentem non amplectamur, non revereamur, non nuptialib⁹ induti vestibus ad eum accedamus? Hic annulus datur, hinc sponsalia celebrantur cum filio æterni Regis: ibi nuptiæ celebrantur, quando erimus cum ipso, ubi est, & ubi edemus & bibemus in mensa ejus, in Regno ejus, cœlestibus nos reficientis deliciis, & perpetuò exultantes in sponso nostro, in Servatore nostro, in Immanuele nostro. Ille, inquã, est, qui sacram instituit cœnam; ille est, qui admirabili quodam modo simul convivator est, & hujus convivii ferculum: Sacerdos, & sacrificiū;

semper vivens & vivificans, & tamē mortuus pro nobis. In illum piæ mentes respicere debent plus, quàm in ea, quæ foris incurrūt in oculos: & quod olim per prophetam, & pphetico Spiritu ad Typicum templū dicebatur, id jam ad omnia membra veri Templi & sempiternæ Ecclesiæ accommodari eiq; dici meritò debet, AT-
 TOLLITE, *ô porta, capita vestra, & attollite vos porta perpetuò mansuræ, ut ingrediatur Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Iehova robustissimus & potentissim⁹, Iehova exercitium, is est Rex gloriæ.* Is ipse est, qui, teste Divo Petro, Epist. 2. cap. I. *Accepit à Deo Patre honorē & gloriam voce ad eum delatâ huiusmodi à magnifica gloria: Hic est ille filius meus dilectus, in quo acquiesco, & hanc vocem, inquit, nos audivimus è cælo delatam cum essemus unâ cum eo in monte sancto, &c.*

Sed venio ad alterum caput, quale nobis epulum in hoc convivio proponatur. Scribit August. contra Faustum Manichæum, nonnullos ppter panem & calicem cœnæ Dominicæ existimasse Christianos colere Eterem & Bacchum. Et certè si sensus externi interrogētur, quid Christus in cœna discipulis

Psal. 24.

v. 7. 9.

v. 8. 10.

v. 17.

lib. 2.

scipulis

scipulis distribuerit, aliud respondere nō
 poterunt, quān distribui panem & vinū,
 juxta illud August. quod à Gratiano cita-
 tur: *Quod videtur, panis est & calix, quod* De Con-
oculi renunciant: quod autem fides postulat sec. dist. 2.
instruēda, panis est corpus Domini. Ista enim
ideo Sacramenta dicuntur, quod in eis aliud
videtur, aliud intelligitur. Quod videtur,
speciem habet corporalem, quod intelligitur, Homil.
fructū spiritualem. Quare, ut rectè monet 83. in Mat.
Chrysoſtomus, Quia dixit Christus, HOC
EST CORPVS MEVM; nulla teneamur ambigui-
 tate, sed credamus & oculis mentis id perspi-
 ciamus. Nihil enim sensibile nobis est à Chri-
 sto traditum, sed rebus sensibilibus quidem:
 omnia verò quæ tradidit intelligibilia sunt.
 Nam si incorporeus esses, nudè tibi ipsa dona
 incorporea tradidisset. Non igitur panis
 & vinum præcipua fercula sunt hujus cō-
 vivii: Imò ne fercula quidem, sed signa &
 testimonia illius cibi cœlestis, qui in horū
 signorū usu legitimo à fidelibus & religio-
 sis mentib⁹ percipitur. Quis autem sit ille
 cibus, ille panis, ille potus, quo animæ pa-
 scuntur & saginantur, luculentur docuit
 Christ⁹ Ioan. ca. 6. ubi cum magna asseve-

v. 54. ratione ait: *Amen, amen dico vobis, nisi ederitis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinē: non habetis vitam in vobis. Qui edit carnem meam & bibit meum sanguinē, habet vitam aeternam, & ego excitabo eum*

v. 55. *in ultimo die. Caro enim mea verè est cibus; & sanguis meus verè est potus. Et si autem ἄσῃος, quā Deus, semper fuit vita, & vita in eo fuit: quia tamen excideramus vita Dei & alieni ab eo facti eramus: nihil commercii nobis esse poterat cum illa vita, nisi de cœlo ad nos descendisset, & in corpore nostro se se vita patefecisset, nosq; illius corporis membra fecisset: qua in re consistit magnum illud Christianæ*

In Psal. 33. *pietatis mysterium, unde August. Christus in corpore & sanguine suo (inquit) voluit esse salutem vestram, & commendavit corpus & sanguinem suum, sua illa summa humilitate: nisi enim humilis fuisset, nec manducaretur, nec biberetur. Respice altitudinem ejus: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Ecce cibus sempiternus: Sed manducant Angeli: manducant superna virtutes, & saginantur. Quis autem homo possit ad illum cibum pertingere? Opor-*

Oportuit ergo, ut mensa illa lactesceret & ad
 parvulos perveniret, exinaniri Dei filium,
 formamq; accipere servi, ut homo panem An-
 gelorum comederet. Sic & Cyril. *Vt nos in-*
ter nos & cum Deo uniret, qui corpore simul
& animo ab invicem distabamus, modum ad-
invenit, consilio Patris & sapientia sua con-
gruentem: suo enim corpore credentes per
communione mysticam benedicens, & se-
cum, & inter nos unum corpus efficit. Ne
autem ignoraremus, quomodo vitam ex car-
ne Christi, quæ mortalis fuit, haurire possim⁹,
quod de nulla alia carne prædicari potest: sæ-
pe pronunciat Servator se de cælo descendis-
se, id est, hanc carnem esse carnem ejus,
qui ab initio fuit apud Patrem, & natura-
liter est vita: quapropter totam operatio-
nem Verbi hæc Caro dicitur suscepisse, nõ
per transfusionem proprietatum: sed (ut
se interpretatur Cyrillus) quia nõ cujusvis
hominis, sed ipsius vitæ corpus est, & quia
tota illa caro toti ἁγῶφ unita est. Et tantum
abest, ut mors huic carni de virtute vivifi-
ca aliqd detraxerit, ut velideo vivifica sit,
est tradita pro nobis, quia & precioso san-
guine sacrificioq; hujus agni immaculati

Lib. II. in
 Ioannem
 cap. 26.

peccata expiata sunt. Meruit itaq; & acqui-
 sivit nobis vitam suo sanguine: sed unde
 meritū, unde dignitas illi⁹ sanguinis, nisi
 ex unione personali cū λόγῳ, caq; in mor-
 te ipsa inseparabili? Absit, absit igitur, Au-
 ditores, ut in pane & vino animæ vitā que-
 ramus: absit, ut in nostris sacris, coena no-
 stra, nihil nisi panem & vinum terrenave
 elementa contemplemur: sicut malevoli
 calūniantur, Longè hīc sublimius, longè
 excellentius, & efficaci⁹ ferculū pponitur.
 Nam variæ quidē & opiparæ epulæ in cō-
 vivis huj⁹ mundi inveniūtur: sed que ani-
 mam non satiant, verū corp⁹ duntaxat:
 Imò plerūq; & animam obruūt & corpus,
 plusq; nocent, quā profunt. Caro verò
 Christi tradita p nobis, sanguis pro nobis
 fusus, justitiā nobis pmeruit & vitā. Cor-
 pus, inquā, non aereum aliquod aut invi-
 sibile, non ubiquestariū & infinitum, non
 corpusculū aliquod in pane latēs, ut vul-
 gus imperitū imaginatur, sed natū ex vir-
 gine, traditum pro nobis: cuj⁹ mēbra per-
 mysticā unionē sunt omnes credētes. De-
 niq; sicut pulcrè Hilarius monet: *De veri-
 tate carnis & sanguinis non relictus est ambi-
 gendi locus. Nunc enim, & ipsius Domini p-*

fessione, & Fide nostra: verè caro est & ve-
 rè sanguis: & hac accepta & hausta verè fa-
 ciunt, ut nos in Christo, & Christus in nobis sit.
 Quibus verbis ostendit B. Hilar. primùm,
 Cœnâ Dn. confirmare nobis carnis Do-
 minicę veritatem: non autē abducere nos
 ad aliquã carnē invifibilē, & infinitã, quæ
 nobis nos sit ὁμοῦστος: deinde, efficacē qui-
 dem esse Christū in Cœna, nec nuda sym-
 bola pponi; sed distinguendū tamen esse
 inter symbola, quæ foris accipiuntur &
 hauriuntur: & inter Christum in nobis
 habitantem, & intus vivificantem.

Sic quoq; de usu signorū visibilium differit
 Cyril. oportuit, inquit, ut non solum anima per
 Spiritū S. in beatā vitam ascenderet: verum etiam
 ruderē & terrestre hoc corpus cognato sibi gustu ta-
 ctuq; cibo, ad immortalitātē reduceretur. Gustus ille
 certè, & tactus, non de corporeo carnis Christi
 contactu, vel orali manducatione, ut nōnulli
 crassi homines interpretantur, accipi potest:
 quandoquidē, ne ab ipsa quidē Mariā Magd.
 cum adhuc in terris esset, post Resurrect. eo mo-
 do tāgi voluit: sed de symbolis externis, quæ
 dum sumimus, & tangim⁹, omninò certi sum⁹,
 corpus Christi traditum esse ad redemptionem,
 non solū animarū, verum & corporū, & nos
 totos *νοῦς καὶ σώματος* habere cū corpore Christi, licet
 anima proprie sit templum, quod inhabitat.

lib. 4. in
 Ioh. c. 14.

& tota mystica & cœlestis sit unio illa, quæ nobis cum ipso intercedit.

Ex his manifestum est, Dominum nostrum & Servatorem Iesum, ut maximè Ioannis sexto sacramentum cœnæ non instituerit, differuisset tamen de re sacramenti, & de vero ferculo Cœnæ, nempe de Carne sua & sanguine suo, quemadmodum veteres omnes Patres magno consensu agnoscunt. *Nam & ideo* (inquit Chrysostomus) *haud perturbati suere Apostoli: quando in S. Cœna verba illa audierunt, Hoc est corpus meum, quia jam antea de hoc pane vite, & de modo manducationis edocti fuerat:* in illa nimirum concione, quam Dominus in Capernaum habuerat. Hinc etiam toties monet & inculcat Augustanæ confessionis Apologia, non aliam promissionem in Cœna nobis obsignari, quàm promissionem Evangelii, de Corpore videlicet Christi tradito pro nobis, quod corpus, cum unum sit numero, haudquaquam aliud fuit, vel ab eo diversum, de quo antea in Capernaum differuerat, ut habetur Ioan. 6. Hæc si religiosa & sedata mente perpenderent nostri temporis Theologi, & tum

& tùm integra verba Christi, tùm promissionem Evangelii, tùm piæ vetustatis cõsensum diligentius examinent: non ita homines ad crassas cogitationes de orali manducatione carnis Christi, & ad Marcionitica somnia de corpore invisibili & infinito, omniaq; instar lucis vel soni penetrante, traducerent. *Abierunt* (inquit Cyprianus Tractatu de Cœna) *multi retrò, quia horrendum putabant, carnem seētam membratim edi: cùm illius Personæ caro, si in frustra divisa esset, non omni humano generi posset satisfacere, qua semel consumpta videretur interiisse Religio: Sed Magister ipse se exposuit, verba hæc, quæ loquor, Spiritus sunt & vita, nec carnalis sensus ad intellectu tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat edoēta visibilibus Sacramentis: siquidē non tam corporali, quàm spiritali transitione Christo unimur.* Hæc sunt, auditores, summa illa Religionis Christianæ mysteria, hominibus carnalibus & filiis hujus seculi incognita: Hæc sunt fercula, quæ Rex Regum in sua Cœna nobis proponit: Hæc sunt veræ deliciæ animæ fidelis: quas ne opulentissimi quidem & potentissimi

In Para-
doxis.

Reges ex omnibus suis Regnis & thesauris percipiunt. Nam divitiis omnibus circumfluentes, inquit Cicero, ea tamen desiderant maximè quibus abundant: neque enim unquam expletur aut satiatur cupiditatis sitis: nec libidine solùm augendi, ea quæ habentur cruciatur: verùm etiã amittendi metu. Et ut maximè Philosophi de pabulo animorùm, de meditationibus rerùm arduarùm, & contemplatione operùm Dei aliquid tradant: verum hunc & solidum cibum, qui anima saginatur & vivit, Christum videlicet ignorarunt, & eis fuere similes, qui somniant se convivari, assatimquè omnia habere: expergefacti famem, sitim, & paupertatè suam sentiunt. Sed Deus bone! quàm longa oratione opus esset, si de præstantia & utilitate cibi hujus, & de ejusdem variis admirabilibusque effectis, quæ pii vel in media morte sentiunt, & S. martyres in mediis gravissimis tormētis senserunt, & quæ plenè in illa ultimà Resurrectione sentiemus, paulò uberius dicere vellemus; quod nec in tanta tēporis brevitate fieri posse videtis; nec propriè id in præsentia est instituti nostri. Venio igitur ad tertiũ & ultimum caput,
cujus

cujus causâ potissimū hanc orationem ad studiosam juvētutem habere volui, ut videlicet intelligat, quales convivæ Christi experat, & quomodo se ad sacram illā synaxin præparare piæ ac religiosæ mentes debeant.

Ante omnia autem iis occurrēdū esse video, qui, ut se de participatione Cœnæ Domini excusent, jam se mysteriū istud non intelligere, & inter rot controversias utri rectè sentiant, dii judicare non posse: jam se esse indignos ppter vitam minùs ad præscriptum verbi Divini compositā causantur. Et monet quidē graviss. verbis Apostolus, ne illotis, quod ajunt, manibus, & temerè ad sacrā mensam convolem⁹, ne fortè ad judiciū & pœnā potiùs, quàm ad vitā panem Dni. percipiamus, neq; fiamus, sacrosancti corporis rei, cui⁹ nos tanquam, mēbra participes fieri affectemus, & id præ nobis feramus: cū interim membra simus Satanæ & variis dediti immundiciis. Atqui non idcirco cōcludit Apōstol⁹, abstinentiū esse à S. cœna, & nos ipsos nos excommunicare debere, & hac sancta salutariq; cōmunionē privare: qn̄ potiùs diligē-

Galat. 6.

ter hortatur, ut mortem Domini annuntiemus, & excutiamus, atq; probem⁹ nos ipsos: *Primum*, an fidem habeam⁹, 2. Cor. 13. *Deinde*, ut quisq; opus suum probet, & vitam examinet, & in hac probatione & exploratione haudquaquam nobis blandiamur, nec falsos adhibeamus trutinas, cum integrè ambulandum sit coram Domino, qui probat corda & renes, ut inquit David Psalmo septimo nec sibi imponi aut illudipatitur, inquit Apostolus Gal. 6. Probet ergo quisq; seipsum: nisi fortè inter reprobos censerì volumus, ut loquitur D. Paulus, 2. Cor. 13. & p^{ro}bet quisque seipsum: non alios: quos examinare & explorare non est privatorum, sed iudicii Ecclesiastici, sive totius synedrii, & probet quisque, tum quæ sit recta Fides, tum quæ vita Christiano digna, & probetur fides atq; vera doctrina, non ex præiudiciis, & præconceptis opinionibus, non ex arbitrio hujus vel illius Doctoris, sed ex lege & testimonio, ex scripturis, invocato Spiritu S. quem paracletum & doctorem veritatis omnibus fidelibus Dominus promisit: qui facilè nos docet, quid verbo Dei,

Dei, quid analogiæ Fidei, quid mysteriis pietatis sit cōsentaneum : quid sit aurum, quid sit argentum, quæ rursus sint stipulæ, quæ scorix ex papatu & hominum traditionibus in Ecclesiam invectæ.

Accedentes porrò ad Cœnam Domini, famē inprimis & sitim nostrā nos sentire decet. Hic enim cib⁹ non saturos, non securos, nō opinione ppriæ justitiæ inebriatos requirit, sed animas verè esuriētes & sitiētes Iustitiam, & vitam Christi, quorum utrumq; natura nobis deest. Vnde necesse est languere semper, contabescere, ac tandem miserè perire animas, quæ non pascuntur à Christo; & ab illo, q̄ (fact⁹ est nobis omnia, panis scilicet, potus, & vestis) non omnia hauriunt, & petunt. Accedentes deniq; ad sacram hanc Cœnam attendere oportet, quid Christus fieri à nobis velit, atq; jubeat: Signa nimirum sacra reverēter & religiosè accipi, panem Domini manducari, bibi de poculo Novi Testamenti: Sed edi, non, ut cibum communem, menti: sed edi, non ut cibum cōmunem, verùm in Christi ἀνάμνησις, quæ certè non est vulgaris commemoratio, qua-

lis est historiarū, sed ἀνομιῆς ex vera fide proficiscens, quæ non solum recordatur quid olim Christus præstiterit, quo modo pro nobis homo sit factus, pro nobis mortuus & passus; sed quod in hac ipsa actione agatur & præstet, quod nimirum velit nos magis ac magis crescere in ipso, κοινωνίαν habere cum ipso, & cum omnibus ejus beneficiis. Item, quid in posterum in illa vita sit præstiturus, ubi erit complementum hujus gaudii, hujus vitæ, hujus societatis, quæ hic incoatur, ibi perficienda, quando erimus cum ipso, & non amplius per fidem ambulabimus, sed coram cernemus, coram fruemur immortalibus bonis, ubi & fames desinet & sitis, & lacrymæ omnes nostræ abstergentur.

Facessant ergo importuni illi homines, qui in hoc mysterio fidei nolunt fieri mentionem: sed tantum oralis manducationis; & superciliosè quærunt: ubi sit scriptum: Accipite, & credite. Quasi verò nihil nisi signa externa consideremus in eoenâ, de quibus dicitur: accipite, comedite, & non sit subjecta promissio Gratiæ, quæ aliter certè quam fide percipi nequit:

nequit. Præterea quid aliud sibi volunt
 Christi verba: *Hoc facite in mei cōmemora-
 tionē quam, fideli mente recolite, quis sim,
 quid vobis morte mea acquisiverim; &
 tali fide magis ac magis vobis applicate
 Servatorem vestrum, & ejus beneficia.*
 Ideo Augustinus: *Queramus, inquit,* Tractatū
50. in Ioā.
*Christum, ut habeamus, queramus ut tenea-
 mus, sed non ut occidamus. Respondent Iu-
 dai. Quem tenebo? Absentemne? Quomodo
 in cælum manum mittam, ut ibi sedentem
 teneā? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui
 tenuerunt carne: Tu tene corde. Christus ab-
 sens etiam presens est. Abiit, & nos non de-
 seruit: Corpus suū intulit cælo, Majestatem
 non abstulit mundo. Item Chrysost. Carnale* Hom. 43.
in Ioan.
*est, dubitare, inquit, quomodo nobis possit Chri-
 stus carnem suam ad manducandū dare: cum
 hoc sit mysticè & spiritualiter intelligēdum:
 Sed inter Dominica mensæ convivas anima-
 lis homo non admittitur, quicquid caro & san-
 guis dicitur, ab hoc cætu excluditur, nihil sapit,
 nihil intelligit in his mysteriis homo carnalis,
 sed spiritualis, qui (inquit Cyril.) in deliciis
 Domini, in doctrina Domini versatus est, ju-
 giterq; canit: Quā dulcia faucibus meis eloq;*

tua, & quàm pretiosa est benignitas tua De-
 siquidem uberrimè explemur pinguedine do-
 mus tuae, & de torrente deliciarum tuarum po-
 tamur: quandoquidem penes te est fontis
 vitæ. Hęc est Eucharistia, & Ευλογία, quam
 piæ mentes pro tantis beneficiis Deo de-
 bent. Hic secundarius finis hujus Sacra-
 menti, ut videlicet postquam gustavimus
 de deliciis Domini, & ejus participes facti
 sumus, in laudes erumpamus, toti ardea-
 mus amore Dei & dilectione proximi, nec
 huic panem concordia in panem discor-
 dia vertamus: vitamq; illam potiùs no-
 vam, vitam Deo gratam, ad quam regen-
 ti sumus, & ad quam tum in Evangelio,
 tum in sacra Coena pascimur, perpetuò
 meditemur atq; indies in ea proficiamus.

De hac enim verò sacra Coena verè dice-
 re possumus, quod de Platonis cœnis à
 Timotheo quodam Atheniensi dictum
 olim fuisse commemorat Cicero Tuscu-
 lana quinta: *hujusmodi cœnas non solum in-
 presentia, sed etiam postero die esse jucundas.*

Quapropter videte, Auditores, & fratres
 charissimi, videte Adolescentes lectissimi,
 ut ad talem cœnam, ad hujusmodi vitam
 legitimè

legitimè vos præparatis. *Vt quid paras den-
tem & ventrem? inquit Augustinus, crede,
& manducaſti. Cibus hic eſt mentis, nõ ven-
tris: & cibus eſt grandiu, qui in Chriſto ado-
leſcunt. Creſcite igitur in fide, ut mãducaſis.
Iuſtus enim Fide ſua vivit, & dat Chriſtus
credentibus tantum, quantũ ſe credit capere,
qui ſumit, inquit Beatus martyr Cyprianº, Epift. 9.
Quoties ad altare cibus ſpiritualibus ſatians Martyrib.
duſcendiſ, ut monet Euſebius Emiſſenº, & Conſec.
& citatur de conſec. Canon. 34: ſacrum
Corpus & Sanguinẽ fide reſpice, honora, mi-
rare, mente continge: cordis manu ſuſcipe,
& totũ hauſtu interioris hominis aſſume.*

Et quia unitatẽ quoq; Eccleſiæ in hoc
Sacramẽto Panis, nobis cõmendat Chri-
ſtus, teſte Apoſtolo i. Corinth. 10. *quoni-
am unus panis unum corpus multi ſumus, &
omnes uniº panis participes ſimus: Sit nobis
curæ, ut unitatem Eccleſiæ cuſtodiamus
& colamus, ſchiſmata & diſſenſiones fu-
giamus, & ad illam deniq; vitam, ad quam
hic cibus nos vivificat, toto pectore an-
helemus, donec nobis detur ſine Sacra-
mentorum velamine coram frui Chriſto,
ejuſq; ſuaviſſimo conſpectu paſci. Ibi, ibi*

Auguſtin.
lib. 3. cap.
25. de con-
ſenſu Ev-
angelift.

Pfal. 16. demum erit satietas gaudii & amœnitas
 æterna coram facie ejus, & tunc, cum ex
 mortuis expergiscemur, plenè reparati ad
 Pfal. 17. ejus imaginem, vidētes in justitia vultum
 ejus, satiabimur. Quod ut nobis omnib⁹
 contingat, vobiscum orationem meam
 convertam ad Dominum, & orationem
 hanc totā brevi precatiuncula concludā.

Tu igitur, æterne Dei Fili, Lux nostra,
 spes nostra, vita nostra: qui, ut ad immor-
 talitatē nos reduceres, unus voluisti fieri
 mortaliū: humilis, ut nos eveheres ad glo-
 riam: pauper, ut immensis thesauris gra-
 tiæ locupletaremur: fac, ut hæc beneficia,
 & cruentū illud sacrificiū vereq; ἱλαστικόν
 in cruce peractum, grata mente recolam⁹:
 & sacrificia cordis contriti, sacrificia lau-
 dis, sanctam εὐχαριστίαν tibi præstemus, te
 esuriamus & sitiam⁹ unum, tibi adherēa-
 mus, & tibi insiti tibi quoq; vivamus, ut,
 quemadmodum corpus de anima nostra
 vivit: Sic anima ex te & in te vivat, tibi
 uni placere studeat, & fruct⁹ tibi gra-
 tos, nunquam nō fera-
 m⁹, Amen,

ADHORTATIO
RIA AD POENITEN-
TIAM, HABITA VII. FEBRV.

ANNO clō. l̄s. XIII: QVO TEMPORE DIS-

SIPATÆ ERANT COPIÆ GERMANORVM

IN GALLIA: ET CLASSIS ILLA HT-

spanica in procinctu erat.



VIT, fuit pium, sanctum & laudabile votum, quod in clyta hæc Academia, pro felici expeditione exercitus Germa-

nici in Gallias, in cœtu solemnī, hoc ipso in loco concepit. Sed quod ex animi voto res non successit, & pro Epiniciis epidemia canere, & tantam ferociam, barbariam, crudelitatem ab hostibus Evangelia experiri cogimur: fit ideò, quod neq; à nobis, neq; ab exercitu, omnium utilissimū votū, uti par erat, conceptū fuit: VOTVM

POENITENTIÆ: VOTVM CONTINENTIÆ ET TEMPERANTIÆ: VOTVM SERIÆ CONVERSIONIS AD DOMINVM. *Talia vota,*

inquit Augustinus, *Angeli coram divina*

majestate offerunt: Talibus votis placatur

Dominus Deus Exercituum: Si quis nimirum,

non solum aliorum miseriam, qui in Gallia & alibi à tyrannis premuntur,

Sermone
7. de Tē-
pore.

videt & sentit: sed suam propriam miseriam, seseq; miseriorem adhuc agnoscit, qui sit sub iugo Sathanæ, sub dominatione infestissima peccati & pravarum cupiditatum, filius deniq; Gehennæ, nisi revertatur ad Dominum, & confugiat ad thronum misericordiæ.

Imitemur ergo, Auditores generosissimi, clarissimi & ornatissimi, sapientes illos remiges, qui, cum se tempestate aliqua à portu procul abreptos vident, mutata velificatione, operam dant, ut portum rursus contingant potiùs, quàm ut cum periculo eundem cursum teneant: Sic nos, quaeso, qui Antichristo bellum indicere volumus, antequam cum Christo redierimus in gratiam: exercitusq; in Galliam contra hostes ducere, dum tota vitiorum & flagitiorum agmina nostros animos obsidebant: redeamus ad meliorem mentem, & cum Deo prius transigamus, illamq; Dei vocem apud Ieremiam Prophetam, in animos nostros demittam: *Quomodo benedicerem tibi, inquit Iehova, & tribuerem tibi terram desiderabilem, hereditatem preclaram, exercitusq; gentium: cum iniquas feceris.*

feceritis vias vestras, & oblitistis Domini Dei vestri? Ideo vox planctus, & ululatus auditur in filiis Israël. Sed revertimini ad me, & sanabo aversiones vestras.

Hæ sunt, hæ sunt, Auditores, veræ LITÆ, non fictitiæ illæ Homericæ, Iovis filia: sed divinæ, sanctæ, & in Dei verbo nobis monstratæ, quæ omnia mala, omnes calamitates, quas furiosa Ate, Romana Apostolica sedes importat, depellere possunt, seriæ deprecationes ex seria ad Deum conversione promanantes; cujus rei gratia ex sanctissimo & Christianis principibus dignissimo, Illustrissimorum nostrorum Principum mandato, & hodie manè in templo, & jam rursus in cœtu Academico cõvenimus. Nam, ut rectè monet Chry- Homil. 35.
sostomus: *Non dolere, quia peccaveris; magis indignari & irasci facit Deum, quàm illud peccatum, quòd ante perpetraveras.* in Matth.

Ceterùm, ut certo ordini insistamus, & mentes, animos ac voluntates nostras ad seriam & Deo gratam pœnitentiam cõpromptiùs & meliùs componamus: de duobus his potissimùm dicere institui, quantum à me in tanta ingenii tenuitate,

& ad huc propter matutinam cōcionem, quæ mihi habēda fuit, anhele & raucescēte dici potest, ut Illustrissimi & Magnifici Domini Rectoris voluntati piæ, justæ, sanctæ fiat satis: cuius pio Zelo malui locum dare, quàm pudori meo, aut occupationib⁹ meis, quæ me hodie facilè de hoc labore excusare poterant: Dicam, in quâ,

- I. primùm de summis gravissimisq̃ue causis, quæ nos hoc tempore ad huiusmodi extraordinarias preces, & seriam, accuratam, & citissimam, nisi planè perire volumus, conversionem ad Deum exsuscitare debent: Deinde ostendam & explicabo pro virili, nec non pro temporis, quo circumscribimur, breuitate, quid ad huiusmodi pœnitentiam requiratur: & quomodo nos comparatos esse oporteat, ut iratum numen, Patrem nostrum cœlestem, placeamus.
- II.

Semper, semper certè, Auditores, in pœnitentiæ studium incumbendum est, & semper hac doctrina, & pœnitentialib⁹ adhortationib⁹ aures nostrę personare debent: sicut D. August. de verbis Domini super Matth. rectè observavit, omnes con-

Homil. I.
Tom. 10.

ciones

ciones Evangelicas Christi Servatoris, &
 Ioannis Baptistæ à poenitentia incipere :
 quemadmodū & D. Paulus in Actis profi- Cap. 206.
 tetur, se testificatum Iudæis simul & Græ- v. 21.
 cis *conversionem ad Deum, & fidem in Do-*
minum nostrum Iesum. Nam, cū quoti-
 die labamur, & à recta via multis modis
 aberremus, quotidie reditu in viam, &
 conversione ad Deum opus habemus; &
 DEBET TOTVM HOMINIS CHRISTIA-
 NI CVRRICVLVM, PERPETVVM ESSE
 POENITENTIÆ ET FIDEI EXERCITIVM.
 Verūm, q̄a crescentibus & ingravescentib⁹
 peccatis, crescere etiam solent & invalesce-
 re poenæ divinæ, & morborum epidemio-
 rum instar, totas, vel regiones, vel Ecclesias
 pervadere, & horribiliter affligere: Vete-
 re Lege divina, & consuetudine populi
 Dei sancitum & receptum est, ut appa-
 rentibus, & sese exerentibus hujusmo-
 di iræ divinæ signis, internecionem mul-
 tis populis minitantibus & denuncianti-
 bus: extraordinariis & publicis precibus,
 gemitibus, deprecationibus, jejuniis,
 Ecclesia suam poenitentiam testatam fa-
 ciat; &, ut loquitur Cyprianus in Tra-
 ctatu de Lapsis, *alto vulnere & pericu-*

loso, fortis & valida quaratur medicina, ne penitentia sit crimine minor. Nam, inquit ille, putasne, facile eum tui misereri posse, qui tuam nondum sentis miseriam? *Paritas Dominum cito, & quasi obiter posse placari, quem tam diu offendisti?* Postea subicit Cyprianus: *Quaeso vos ergo fratres, acquiescite salubribus remediis, consiliis obedite melioribus, cum lacrymis jungite preces, jungite gemitus, jungite pudorem, & delictorum sensu afficiimini: nec vos quorundam moveat aut error improvidus, aut stupor vanus, qui licet teneantur in tam gravi crimine, percussi sunt cacitate, ut nec intelligant delicta, nec plangent. Voluit autem Deus, quia traditam nobis divinitus disciplinam pax longa corruerat, jacentem fidem & penè dormientem censura cælesti erigere. Non enim in sacerdotibus Religio devota, non in populo fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus erat disciplina.* Hæc Cyprianus. Certis itaq; & statutis temporibus animas suas olim affligere, id est, gemitibus & jejuniis operam dare jubebantur Israëlitæ, Levitici 16. Exempli causa: cum populus ille in bona etiam causa à
Benja-

Benjamitis bis cæsus & fufus fuiffet, omnes Iudic. 20.
 in domum Dei flentes, jejunantes, facri-
 cantes, orantes venerunt à matutino tē-
 pore ad vefperam: quarum precum extra-
 ordinariorū fructum summū poftcā fen-
 ferunt. Sic, ut multa alia exēpla prætereā,
 luculentum hujusmodi & pœnitentiæ, &
 precum habemus exemplum Danielis, 9.

ubi hæc verba ufurpantur: *Domine* v. 4. 5.
7. 8.
Deus magne & terribilis: peccavimus, ini-
quitatem fecimus, impiè egimus & declina-
vimus à mādatis tuis: Tibi Domine iuftitia;
nobis autem cōfufio faciei, ficut eſt hodie ha-
bitatoribus Hierufalem, propter iniquitates
eorum. Domine nobis, inquam, confufio fa-
ciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, &
Patribus noſtris, qui peccaverunt: Tibi au-
tem Domino Deo noſtro miſericordia & pro-
pitatio.

Nec præteriri hoc loco debēt regis Iofa-
 phat, & regis Nineves exempla, quæ hoc
 rerum ſtatu laudatiſſimi & religioſiſſimi
 noſtri Principes imitanda ſibi propoſue-
 runt: quorum ille, ut legimus 2. Chron.
 20. cū ingentem exercitum transmari-
 norum & aliarum gentium ſuis terris im-

minere, nec tam ferocibus & cōfertis hostibus se parem videret: indixit jejunium & preces universo populo: his verbis inter alia Dominum Deum compellans: *Ignoramus quid nobis sit faciendū: sed ad te, Domine, sunt oculi nostri: Hic verò, Rex sc: Ninevitarū, sicut Ionę tertio cap. refertur, intelligens civitati Ninevæ interitū denunciari intra dies 40. surrexit de folio suo, & abiecit vestimentū suum à se, & indutus cilicio, sedit in cinere, & publico edicto proclamari iussit, ut populus, imò ipsa jumenta à cibo & pabulo tempore illo abstinerent, & inclamarent homines Deum strenuè, & à via sua pessima ad eundem converterentur.*

An hodie, quæso, non longè majores, graviores, urgentiores causæ fletus, poenitentię, precum adsunt, quàm vel Iosaphati tempore, vel Ninevitarū? Iosaphato imminebant hostes: Ninevitis post 40. dies denūciabatur excidium: Nos, Antichristi copias, tūm ad ripas Rheni, tūm nuper versus occidentem plagam vidimus ferro & flammis Imperii fines depopulantes, omne genus flagitiosæ crudelitatis, cujus ipsos barbaros puderet, exercētes: Ecclesias passim

fim videmus in sanguine & squalore jacē-
 tes: Vineā Domini Dei Zebaoth ab ursis &
 apris & aliis feris conculcatam, vastatam:
 Exercitum, qualis nostra, & Patrū memo-
 ria, si Germanicas copias spectes, Evange-
 licis non militarat: exercitū illum, in quā,
 ex tot animosis gentibus conflatū, quem
 totius Regni Antichristiani securim & ter-
 rorē esse, multi credebāt, vidim⁹ tam mi-
 serè morbis, fame confectū, tam turpiter
 absq; hostica verè manu, partim securita-
 te, partim absq; justo praelio, partim ppria
 ignavia, partim panico metu percussū, dis-
 sipatū, fugatum, nudatū, & quasi ad inter-
 necionē cāsum, ut nullū sit miseriæ gen⁹,
 quod eum non vexaverit, presserit, op-
 prefferit. Et, quod omnium omninò est
 gravissimum, immanibus hostibus Evan-
 gelii & Antichristo, Deus bone! quāta tri-
 umphandi occasio suppeditata! quanta,
 nefarium illud decretum Tridentinum de
 exterminandis Evangelicis, & restituendis
 passim idolomaniis exequendi! quanta
 Evangelio innocenti, & sanctæ religioni
 illudēdi! Quanta deniq; ut 2. ca. Lament. v. 25. 26.
 Jerem. dicitur, cōplodendi man⁹ super nos.

opportunitas, ita ut omnes, qui præterierint
viam, sibilent, & capita sua moveant, di-
centes: Hi ne sunt illi, qui tantoperè præ-
dicabantur? Iam devorabimus eos: utiq;
hic dies ille est, quem expectabamus: præ-
sentem habemus illum, illo fruimur.

Hæc sunt certè piis mentibus durissi-
ma, gravissima, præsertim cùm jam bellū
ipsum in nostra viscera sit attractum, &
Annibal sit ad portas; & nobis hæc mala,
has calamitates, hæc incendia, non forti-
tudo hostium, non industria, non confi-
lia; sed nostra profanitas, securitas, igna-
via, impœnitentia, accersiverint & accen-
derint. Illæ, illæ, inquam, sunt gravissimæ
pœnæ Dei immortalis: quando Spiritu
prudentiæ, iudicii, fortitudinis, Spiritu
gratiæ, deprecationum, pœnitentiæ nos
privat. Nam, ut rectè monet Cicero lib.
2. de Legibus: *Nos plerunq; non rectè exi-
stimamus, quæ pœna divina sit, & opinionibus
vulgi rapimur in errorem, nec vera cer-
nimus: cùm doloribus corporis, morte, luctu,
hominum miseras ponderamus, quæ sunt hu-
mana, & multis bonis viris accidunt. Sed ò
pœnas illas verè divinas, graves, exitiales!*

Sermo Ci-
ceronis ad
Quintum
fratrem
post me-
dium lib.
2. de Le-
gibus.

cùm

cum tradimur in sensum reprobum, in
 cor poenitere nescium, cum cœcitate, te-
 nebris, caligine & spiritu vertiginis offu-
 sae sunt mentes nostrae: cum quisq; qua-
 rit, quae sua sunt, non quae sunt Christi:
 cum deniq; Diaboli & pravarum cupidi-
 tarum sumus mancipia, dum nos liberos
 dominos, reges deniq; regum esse stultè
 nobis persuademus. Væ igitur nobis, si
 ne quidem tam graviter icti, percussi, re-
 vertimur ad percutientem nos: si non
 conversa numina, & Deum nobis iratum Isaia 9.
 sentimus: si clangente passim irae divinae v. 13.
 buccina, stertimus, & ruentib⁹ jam impe-
 riis, Ecclesiis, sublatis tot luminib⁹ Rerū-
 publicarum, & Ecclesiarum, non affici-
 mur: de nostra Metropoli & Acropoli, de
 regno caelorum, in quo solo vera securi-
 tas, & tranquillitas, non cogitamus.

Sed video, Auditores, duabus objectio-
 nibus mihi occurrendum esse, antequam
 ad alterum caput orationis nostrae de pœ-
 nitentia, mea decurrat oratio. Nam sic
 me primùm fortassis aliq; excipiet: Quid
 quaeso, vel quorsum nos Heidelbergæ, vel
 alibi in Palatinatu & per Germaniam luc-

re, vel defflere neceffe est, quod ab aliquot
 militibus, & militum ducibus perpetrātū
 & admiſſum est? Præſtent illi culpam,
 qui rem tantam, tam ſanctam, tam pericu-
 loſæ alæ plenā, expeditionem contra *Li-
 gam Pontificiam*, p̄ tuitione Eccleſiarum,
 tam illotis manib⁹ aggreſſi ſunt, & tam ſe-
 curè, imp̄vidè ſuſceperunt, & infelicitè
 perfecerūt: Induant illi ſaccū, capita cinere
 conſpergant, gemitib⁹ ſeſe & lamētis tra-
 dāt: non autem nos, quorū alii talem exi-
 tum præviderūt & prædixerūt, alii ut ſub-
 ditorum & vicinorum multi, ab illo ipſo
 noſtro exercitu, non multò minùs petu-
 lantiæ & rapinarum experti ſunt, quàm ab
 ipſiſ hostibus ſit expectandum.

Specioſa certè oratio eſt, & quæ procul
 dubio multis hodie imponit, & lægudio-
 res eos in precibus & poenitentia reddit.
 SED NON DIFFICILIS eſt tamen ad cam ob-
 jectionē reſponſio: Cùm ſcilicet Domin⁹
 Deus regibus, ducibus, animū, judiciū,
 conſiliū, militibus valetudinem, fortitu-
 dinē eripit, cùm exercitus noſtros florētē
 diſſipat, hoſtes cōtrā dominari & exultare
 patitur: id fieri p̄pter peccata in genere,
 prin-

Principū, sacerdotum, populi, ut Daniel fatetur ca. 9. ita quidem, *ut nullus sit ex vobis, qui ad illud incendiū non aliquot carbones & somites contulerit.* Neq; enim inson-tes punire solet Deus. *An via mea non sunt aqua, o domus Israelis, inquit Dominus, Ezech. v. 10. 29. 30.* *An non petius via vestra aqua non sunt? Idcirco quemque ex vobis juxta vias ejus judicabo: Non committam, ut aliquis portet iniquitatem alterius.* Et Jeremiae 35. *v. 11. 13.* disertè monet Dominus, fore, ut fugiant Israëlita à facie exercitus Chaldaeorum & Syrorum, quòd noluerint recipere disciplinam, & audire Prophetas ipsis subinde missos. Deniq; præ oculis nobis semper esse debet gravissima illa Christi admonitio: *Luc. 13. Putatis hos Galilaos præ cunctis v. 4. 5 Galilaeis peccatores fuisse, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: imò, nisi resipueritis, omnes similiter peribitis.*

Venio igitur ad alteram objectionem, quæ est hujusmodi: *Quid nos juvat pietatis, aut pœnitentiæ studium, cum optimis quibusque maximæ eveniant calamitates, & dum judicia sua in terris exercet Deus, pii etiam publicis malis & pœnis involvantur? Quæ res tãto perè Ci-*

Epist. 5.

ceronem cruciavit olim, ut lib. 1. epistolarum ad Quintum fratrem, quasi desperabundus ita scribat: *Omnis dolor est, quod optimè factis pena est maxima constituta.* Hunc dolorem nullo modò relevari posse ait. Ideo paulò antè quiritàs *Diutius, inquit, in hac vita esse non possum. Neq; enim tantum virium habet ulla aut prudētia, aut doctrina, ut tantum dolorem possit sustinere: cùm inimici plurimum valeāt: amici partim deseruerint, partim pdiderint.* Verùm huic

Malach. 3.
v. 13. 14. 15.
16. 17. 18.

objectioni occurrit Deus ipse apud Malachiam Prophetam his verbis: *Valde, inquit, mihi molesti estis, dum beatos predicatis impios & arrogantes: Et frustra coli Deum, qui suos cultores subinde pullatos esse & lugere sinat. Atqui ego, licet affligi patiar, pro filiis eos agnosco, & paternè castigo: imò illi sunt peculiū meum: qui afflictionib; tanquam aurum igne probantur: dum impii sunt stipularum instar, quæ die ventura inflāmabuntur, ut neq; radix, neque ramus relinquantur.* Eidem objectioni occurrit Beatus martyr Cyprianus contra Demetrianum: *Non ideo, inquit, pares vobis sumus, quòd in isto mundo, & in ista carne constitu-*
ti &

ti, & mundi & carnis incommoda vobiscum pariter incurrimus: Apud vos impatientia clamosa semper & querula est: apud nos fortis & religiosa patientia: quæta semper, & semper in Deum grata: Viget apud nos spei robur & firmitas fidei: & inter ipsas seculi labentis ruinas, erecta mens & immobilis virtus, & de Deo suo semper anima secura.

Cùm igitur, Auditores, ex his, quæ dicta sunt, perspicuum sit, quàm multas, quàm graves occasiones habeamus seriæ ad Deum conversionis, (Neq; enim hoc ipsò luctuoso tempore, quo sævit & regnat Antichristus, manus Dei mutila aut abbreviata est, quò minùs servare possit: nec aggravata auris ejus, ut nò exaudiat: sed iniquitates nostræ, ut monet Isai. cap. 59. *divellunt nos à Deo nostro, & peccata nostra abscondunt vultû ejus à nobis, ne exaudiat:*) v. 1. 2. transeo nunc, inquam, ad alterum caput hujus orationis, & ex scripturis ac pia vultate demonstrare conabor, quæ ratione redeamus in gratiam cum Domino, & quæ ad veram pœnitentiam requirantur.

Etsi verò multis res facilis esse videtur pœnitentia, & cum Davide, vel filio pro-

digo dicere, PECCAVI: dici tamen non potest, inquit Ambrosius in adhortatione ad poenitentiam, quantum valeant tres illae syllabae, PECCAVI: quia in illa voce, flamma sacrificii cordis Davidis ad caelum ascendit. Sed non in syllabis, aut vocibus sita est poenitentia: verum in sensu peccati, in seriis gemitibus: in seria conversione ad Deum. Veraciter igitur, non fucate, non perfunctorie agenda est poenitentia. Nihil peccare, inquit Ambrosius: solius est Dei: sapientis, autem emendare, corrigere erratum, & poenitentiam agere de peccato. At id recte facere difficile est. Quid enim tam rarum, quam ut invenias virum, qui seipsum coarguat, & factum condemnet suum? Rara confessio de peccato: rara poenitentia. Et certe, quemadmodum fides, quae semper verae poenitentiae praelucere debet, singulare est Dei Optimi Maximi donum: Ita & poenitentia, quam ut agere possimus, ante omnia auxilium Spiritus Sancti implorandum est, ut & intimos nostros recessus penetrare, & nostros excutere, & veterem Adamum pravasque concupiscentias jugulare, hostiasque viven-

Epistola
 ad Simpli-
 cianum.

viventes & Deo gratas offerre possimus. Sic Deus Actor. II. gentibus pœnitentiam ad salutem dedisse dicitur: Et 2. Tim. 2. contumacibus Deus pœnitentiam dare, ut agnoscant veritatem, & à laqueis Diaboli elaborantur. Ac salutaris quidem pœnitentia fundamentum est fides: Nam quæ ex fide non procedit, utilis non est, ut monet Augustin. si tamē libellus ille est August. qui ferè tot^o à Pontificibus in decreta transcript^o fuit, & sic quidē, ut, quæ cōmodiùs & rectiùs ibi scribuntur, omiserint, & ea tantùm excerpserint, quæ August. ingeniū & pietatem minùs redolent.

Tomo 4.
de vera &
falsa pœ-
nitentia.
Augustini
libellus de
vera &
falsa pœ-
nitentia.

Ceterùm sunt, quos peccasse pœnitet ppter poenas tantùm, quas sentiūt, & ppter præsentia supplicia, quibus cessantib^o ad ingeniū statim redeunt. Illa enim verò nō est pœnitentia ex fide procedens. Fides enim posteaquàm Christum apprehēdit, illud in nobis efficit, ut per efficaciam mortis & resurrectionis Christi, ejusq; *κονωμι-
αυ*, carnem, carnisque cupiditates subiga-
m^o, & justitiæ vivamus, sive, quod eodē re-
dit, pristinam illam conversationem, quæ
est secundum carnis desideria, depona-

Rom. 8.

Ephes. 4.

m^o, ac secundum novum hominem, qui ad Dei imaginē in justitia & sanctitate cōditus est, renovemur. *Hinc duæ ille pœnitentiæ partes, mortificatio & vivificatio, sive, quod eodem redit, recessus à malo cum summa peccati detestatione, nec non reditus ad Deum, & ad domum Patris, & simul ad obedientiam & vitam novam, præeunte nobis semper spe veniæ & remissionis peccatorū per fidem in Christum.* Talis pœnitentiæ duo illustria exempla ex Scripturis proponere solent veteres Patres: alterum ex Psal. 51. alterum Luc. 15. Sic enim David: *Gratiam mihi fac, Deus, secundum magnam tuā misericordiam. Multum ablue me ab iniquitate mea. Tibi, tibi soli peccavi. Fac, ut audiam gaudium & letitiam, & exultent ossa, quæ contrivisti.* Et apud Lucam, cum ad se rediisset filius prodigus, sic apud se statuit: *surgens proficiscar ad Patrem meum, & dicā ei: PATER, peccavi in cælum & coram te: nec deinceps dignus sum, ut filius tuus vocer.*

Veræ pœnitentiæ adjuncta.

1.

Adjuncta porro veræ pœnitentiæ exprimit Apostol. 2. Cor. 7. nimirum *σπουδὴν, sollicitudinem Christianā, quæ monet, ut serio, ut sollicitè, ut citò pœnitentiam agamus,*

agamus, nec eam procrastinemus, quem-
admodum multi faciunt.

Rectè etenim Ambrosius: *Pœnitentia*,
inquit, *non solum sollicitè: verumetiam ma-* lib. de
pœnitentia, 2.
turè agenda est, ne fortè Evangelicus ille pa-
ter familiàs, qui in vinea sua arborem ficum
plantaverat, veniat, quærens fructum in ea,
& si non invenerit, dicat, succide illam.

Quapropter, Auditores, ne pœniten-
tiam in senectutem, imò ne in crastinum
quidem rejiciamus, *cùm sit crastina vita ni-*
mis longa, & nullus sit certus, se crastinum
diem esse affecuturum. In hac omnino vita
duntaxat, fructuosa est pœnitentia, inquit
Augustinus, quia in hac vita solum conver- De fide
ad Petru.
ti potest homo ad salutem: qui verò hic non
mutat vitam, habebit quidem pœnitentiam
in futuro seculo de malis suis, sicut dives ille
in inferno: sed indulgentiã in Dei conspectu
nò inveniet: quia, inquit idè, et si ibi erit stimu-
lus pœnitudinis, non erit correctio volùtatis.

Alterum pœnitentiæ adjunctum ponit II
Apostolus, *ἀπολογία*, quæ non in exte-
nuatione, aut excusatione peccati posita
est, sed in defensione contra desperatio-
nem, & contra sententiam Legis divinæ,

quã nobis optimus Patronus Christus sup-
 peditat. Et hoc certè modo discernitur pœ-
 nitentia Christiana à pœnitentia Iudæ Ischa-
 rioræ, quem non pœnitentia ad Deum revo-
 cavit, sicut prudenter Leo Episcopus scri-
 bit: sed desperatio ad laqueum traxit.

III.

Tertium adjunctum est ἀνανάκτησις,
 indignatio, qua verè & nobis & peccatis
 indignamur, verè contriti sumus, quod
 tam turpiter, tam flagitiosè, tam ingratè
 nos erga optimum Patrem cœlestem ge-
 ramus. Et hanc ἀνανάκτησις comitatur φό-
 βος, timor, Dei reverentia ac metus, ne de-
 nuò eum offendamus, & in exitiales Dia-
 boli laqueos, & fœdas peccatorũ lacunas
 incidamus, deniq; , ut duo illa præcipitia
 vitemus, securitatem & desperationem.
 Veram pœnitentiam comitari semper de-
 bent, ἐπιπόθησις, & ἐκδίκησις, hoc est, desi-
 derium serviēdi Deo, alacritas in ejus cul-
 tu atq; obedientia: nec non seria vindicta,
 qua nos ipsos, ut ita dicam, ulciscamur,
 animasq; nostras subigamus: quo nomi-
 ne veteres jejunia, saccum, cinerem, eju-
 latus, planctus in pœnitentia publica ad-
 hibebant.

Et si

Et si verò meritò damnantur hypocri-
 tæ, Isai. 58. qui in illis externis ceremoniis
 acquiescebant, & his se præclarè defungi
 putabant, si gestibus & jejuniis luctum
 aliquem testarentur: dolendum est ta-
 men hodie, & id mecum multi pii Theo-
 logi deplorant, propter abusum Pontifi-
 ciorum, ita in Ecclesiis, Germanicis præ-
 fertim, negligi rectum usum jejuniorum
 & aliarum piarum ceremoniarum, qui-
 bus caro subigi, & totus homo experge-
 fieri & ad veros gemitus ac sacram pœni-
 tentiam revocari deberet. Sed utinam
 saltem tale jejunium vel hoc calamito-
 so tempore impetrari posset, ut à crapu-
 la, comestationibus, lascivis choreis, fœ-
 dis bacchanalibus, intempestivis discursi-
 onibus per plateas, blasphemis & ali-
 is hujusmodi abstineret populus, absti-
 nerent studiosi, territi saltem illa com-
 minatione, quæ exat Isaiæ 22. *Cum voca-* v. 12, 13, 14.
verit Dominus Iehova ad fletum & ad
planctum: ecce letitiam & gaudium, oc-
cidendo boves, & jugulando pecudes:
comedendo carnes, bibendo vinum & di-
cendo: Edamus & bibamus: Cras enim

morituri sumus : Ne vivam, si expiabitur vobis ista iniquitas : donec moriamini, inquit Dominus Iehova exercituum.

Fructus ergo potius in nobis veræ pœnitentiæ conspiciantur, Auditores, quos à pœnitentibus, Matth. 3. & Luc. 3. Ioannes ille Baptista requirebat : Temperantia, continētia, charitas, patientia, odium peccati, amor Dei & Legis divinæ. *Pœnitētis enim, inquit Veteres, est præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Sitis, inquit Augustinus, pœnitentes, non irridentes : Si te non pœnitet, pœnitens non es : Si pœnitet, curre rursus facis, quod malè fecisti? Attendamus obsecro vulneris magnitudinem : sed non desperemus de Medici potestate. Nam, ut ait Hieronymus scribens in Amosum Prophetam : Si agimus pœnitētiam, Deum quoq; sua pœnitebit sententia. Et sic quoq; Dominus, Ierem. 18. Si conversa gens illa à malo suo, contra quam locutus fuero, pœnitentiam egerit : agam & ego pœnitentiam super eo malo, quod cogitaveram facere ei.*

v. 8.

Hic porrò quærit Augustin⁹ : Numquid, quo modo hominem, sic pœnitet Deum?

Mini-

Minimè certè: nam in illum nec error, nec mutatio ulla cadit. Sed pœnitere dicitur, cùm juxta æternum suum justissimumq; decretum aliquid mutat, quod mutari voluit, & cum certa conditione denunciaverat. Sic pœnitet eum mali, quod nobis minitatus erat, quando illud à nobis mutatis, avertit. Id enim fert Dei decretum, ut, si pœnitentiam agamus, à nobis mala avertantur. *Reo mutato, mutat judex sententiam*, inquit Augustinus. Valeat itaq; Novatus, quem Cyprianus, *Epist. 2. 1* hostem misericordiæ, interfectorem pœnitentiæ vocavit, quòd lapsis veniam negaret. Negatur venia lapsis, sed in lapsu manentibus, seu impœnitentibus, qui ad pœnitentiam non renovantur, ut loquitur Apostolus, Hebr. 6. id est, reprobis.

Hæc cùm ita se habeant, Auditores, an animum in peccatis obfirmabimus, ut in nobis puniēdis Deus animum obfirmet? An nostrâ impœnitentiâ, nos ipsos, familias, patriam, Rempub. Ecclesiam in delictum vocabimus? An divitias bonitatis ejus & patientiæ, & longanimitatis contemnemus, ignorantes, quòd benignitas

Dei ad pœnitentiam nos invitet? An istud balsamum, an istam medicinam, quæ sola Ecclesiæ & Reip. vulnera curare potest, pœnitentiam, & cum pœnitentia seriam invocationē nominis divini aspernabimur?

Quare, ut tandem orationi finem imponam, Auditores, vos rogo & hortor, ut de his seriò cogitetis, nec hodie solùm, sed singulis diebus seriam pœnitentiam meditemini: ut inveniat nos Dominus servos vigilantes, expectantes Dominum suum: & conflagrante orbe terrarum, evadere cum Lotho possimus, & decursoriarum nosæ hujus & caducæ vitæ spatio ad æternā illam & beatā traducamur. Superest, ut hanc nostrā adhortationē ad pœnitentiam, pio voto ad Dom. Deum exercituum, hujusmodi nimirum precatōne claudamus:

Æ T E R N E Deus, Deus magne, terribilis, Deus exercituum, sed idem clementissime Pater, accensā quidem est ira tua, & manus exerta ad nos puniendos, & jam cervicibus nostris imminent flagella tua, & secures iræ tuæ: jam dies tenebrarum,
dies

dies caliginis nobis oborta est: jam hostes nostros in caput, nos verò in caudam posuisti. Sed quò confugiemus, nisi à te irato ad te ipsum propitium & misericordem: à throno justitiæ ad thronum gratiæ. Peccavimus Domine, iniquè egimus; patientiâ tuâ, benedictionibus tuis abusi sumus & nos & Principes nostri, & Populus universus. Peccavit multis modis Exercitus, qui, cum tam esset prophanus, tam sanctum bellum, nempe prælia Dei exercituum, Davidis instar gerere voluit: Lapsus Davidis & delicta imitari maluit, quàm ejus poenitentiam. Sed nec tu tamen, Domine, vis interire Ecclesiam, nec Dominari semper Idolomanias, & mendacia, & blasphemias Antichristianas: Imò nec mortem vis peccatorum, sed ut convertantur & vivant. Tu ergo, Deus optime, à quo omne donum perfectum, largire nobis omnibus cor verè poenitens, cor novum, cor totum ardens sanctis suspiriis: Sis nobis omnibus propitius, Illustrius nostris Principibus: Ecclesiæ: Scholæ: Reip. Conserva clementer hanc Sareptulam, hoc hospitium, quod uni-

cum ferè in Germania habēt Orthodoxi,
ô exaudi hodie, ô cœlestis Pater, vora po-
puli tui, preces Ecclesiæ tuæ, & brevi po-
renti dextra tua confringe cornua Anti-
christi; erige labentem Ecclesiæ sta-
tum, per Dominum nostrū
& Servatorem Chri-
stum.



ORA-

DE ASCEN-
SV DOMINI NO-
STRI IESV CHRISTI
IN COELVM: NEC NON
DE EIVS VERA AC SALV-
TARI NOBISCVMPRÆSENTIAAD
FINEM VSQVE SECVLI: HABITA

DIE ASCENSIONIS, EODEM, QVO

SUPERIOR PROXIMA, ANNO,

HEIDELBERGAE, IN

COETU, ACADE-

MICO.



D E A S C E N S V D O -
 M I N I N O S T R I I E S V C H R I -
 S T I I N C Œ L V M .



Abducturus quendam HORA-
 TIVS à flebilibus & luctuosis
 querelis,
Non semper (inquit) imbres
nubibus hispidos

Manant in agros: aut mare Caspium
Vexant in æquales procellæ
Usque _____

_____ Desine mollium

Tandem querelarum: et potiùs nova
Cantemus Augusti trophæa
Cæsaris _____

Quid si igitur & ego, Illustrissime Prin-
 cepts hujus Academiæ Rector Friderice,
 inclytæ Magnificentissime, Magnifice D.
 Prorektor, nobilissimi, clariss. & ornatiss.
 Auditores, ego inquã, qui non ita pridem
 ex hoc loco ad gemit⁹ & lacrymas, ad sac-
 cum & cinerem, ad pœnitentiã & sensum
 nostrorum malorum, quæ, vix adhuc in-
 eunte hoc anno, tam confertim se obtu-
 lerunt, vos provocavi, nunc hortor & rogẽ,
 ut paulisper respiretis, & inter tot clades,

tot funera, quæ hujus anni deformarunt
 exordia, illud Christi Servatoris vobis fug-
 geram: *Ne turbetur cor vestrum: In mundo* Johan. 14.
oppressionē habebitis: sed confidite: Ego vi- v. 1.
ci mundū. Illum ipsum triumphū Domi- Johan. 16.
 ni & Servatoris nostri Iesu Christi, *cujus* v. 33.
Resurrectio, spes nostra est, inquit August.
Ascensio vero, glorificatio nostra, canit ho-
 diæ & celebrat Ecclesia Christiana, trium-
 phū certè, vel quinq; triūphis Iulii Cæsaris,
 quos ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex A-
 frica & ex Hispaniis reportavit: imò triū-
 pho P. Scipionis Africani, quem omniū
 clarissimum fuisse apud Romanos com-
 memorat Livius, longè nobiliorem. Tri-
 unaphatores illos in medijs triumphis
 memores oportuit esse sepulchri, & vi-
 cissitudinis rerum humanarum: cum pe-
 nes Deum sit, *vel imo tollere de gradu mor-*
tale corpus: vel superbos vertere funeribus
triūmpos. Nam & idem Livius notat an- Lib. 9. de
 nū quendā trium insigniū & clarissimorū bello Ma-
 Imperatorum, Philopœmenis, Anniba- cedonico
 lis & P. Scipionis morte infamē & infau- & Asiati-
 stum: qualem proh dolor, octogesimum co.
 hunc octavū annū vix ingressi, expertijam

sumus luctiverū, tum aliis calamitatibus, tum intempestivo obitu trium summorū Principū, & summorū Ecclesiarū orthodoxarū, Patronum Regis Daniæ, Principis Cōdei & Ducis Bulionei: qui luctus, quæ funestæ Ecclesiæ & Reip. mortes, ut unā cū vere desinant, & reliquos Ecclesiæ nutricos Dominus Deus tam dubiis & tetricis temporibus nobis clementer conservet, toto pectore & indefinentibus votis nobis rogandus & interpellandus est.

Ceterū quandoquidem unicus ille Domini nostri Iesu Christi triumphus, quem ascendens in cœlum, peccato, mūdo, morte, inferis triumphatis obtinuit, tale gaudium nobis peperit, quod nemo à nobis tollere potest: & talem victoriam, quæ omnes nostras clades, omnemque acerbitatem, qua misera hæc vita circumfusa est, vincere facile potest, cur hunc triumphum non frequentemus, non attentis & paratis animis consideremus, cur in eo celebrando, nostra licet rei tantæ impar, non exultet, & triumphet oratio? Quem non juvet hodie, descendente mūdo in exitium & exitiosa certamina, & ru-

entibus

entibus passim imperiis, corde ascendere in coelum, & corde prosequi ascendētem Christum, & parantem ibi nostris quoque corporibus locum? Et cum plerique nostrum patriam suam in terris novercanti sibi esse experiantur, cur non sit dulce & jucundum cognoscere ubinam, & qualis sit illa patria, in qua cum Christo & beatis omnibus in sempiternum tandem colligemur? Quis deniq; Christianus, cum intelligat, & cum tota Ecclesia orthodoxa credat, Christum non per phantasma, aut disparentiam, sed corporali & physica cōmigratione & locatione, ex terris in cœlū cœlorum, unde demum corporaliter & visibiliter veniet judicatur⁹ vivos & mortuos, ascēdisse, non simul cognoscere cupiat; qua nimirum statuere ratione possumus, cum nos non reliquisset orphanos, & Ecclesiā dulcissima ejus ac salutari præsencia non esse orbatam, imò in ejus tutela & præsidio latere illam, & consistere usq; ad mundi finem, contra tot agmina hostium, tot motus & impetus tyrannorum, qui eam à juvertute oppugnatam in senectute expugnare & opprimere conantur?

2. Cor. 3.
v. 5.

De his tantis, tam necessariis, tam jucundis & salutaribus rebus, *de hac spei animarum nostrarum anchora tuta & firma, quæ fixam in cœlis habemus*: ad nostram consolationem, & ad Triumphatoris & Immanuelis nostri gloriâ, p̄ mea tenuitate hodie dicere institui, ejus ipsius auxilio fretus, qui idoncos nos facit per Spiritum S. ut de cœlestibus mysteriis cogitare & loqui possimus, quantum ad nostram salutem expedit, & in hujus carnis imbecillitate fieri potest. Sed, ut modum teneam in dicendo, & ea non repetam, quæ ante biennium ex hoc loco, hoc tempore dicta à nobis fuerunt, duobus his capitibus orationem meam circumscribã, *dicturus primum de patria sanctorum*, sive de cœlo, in quod Christus ascendit, & in quo nobis parat locum: *deinde de ejus præsentia in Ecclesia*, cujus *σφραγὶς* esse voluit sacramentum Eucharistiæ; *ostensurus etiam articulum ascensus in cœlum* optimè convenire cum ejusdem saluberrima præsentia, inviolabiliq; *κοινωνία*, quam optimus Servator nobiscum habet, sine qua nihil homine miserius; nihil ex Dei verbo solatii, nihil ex Christi adven-

adventu, morte, resurrectione ad nos fructus rediret.

Si verò, Auditores, apud ipsos Ethnicos, quorū pleriq; veram patriā ignorarūt, patriæ qualiscūq; tantā vis, & tāta natura fuit, ut Ithacā illā in asperrimis saxis tanquā nidum affixā, tanti fecerit Vlysses, ut eam omnibus aliis rebus anteponeret: quo amore inflāmati esse debem⁹ in ejusmodi patriā, in qua Pater cœlestis sedē & thronū habet majestatis, quem nobis Christus suo sanguine promeruit; quam suo in cœlum ascensu mōstravit & paravit, quæ dom⁹ est & receptaculū omnium bonorū & beatorū? *Ille, ille demum verus est Christianus,* Tom. 13.
 inquit Augustinus, *qui & in domo sua, & in de vet.*
patria sua peregrinū se esse cognoscit. Patria Domin.
nostra sursum est: ibi hospites non erim⁹. Nam serm. 32.
unus quisq; hic & in domo sua hospes est, quādoquidem ei singulis horis expectandus est exitus, & transitus ad aliam vitam. Cessit tibi locum Pater tuus; cessurus es & tu filiis tuis. Quotquot igitur fuerunt S. Patres & Patriarchæ, professi sunt, quemadmodū scribit Apostolus Heb. II. se hospites & advenas esse in terra, & meliorem patriam

quæsiverunt, & expetiverunt, cœlestem
 nimirum, in quam Christus corpore suo
 præcedere voluit, ut superna curemus &
 consecremur, ubi Christus est ad dextram
 Dei sedens, ubi & τὸ πολίτευμα ἡμῶν ὑπαρ-
 χει, ἐξ ἧ καὶ σωτηρία ἀπεκδέχομεθα χυρίου Ἰη-
 σοῦ χριστοῦ.

Per illos autem cœlos, nec cœlum istud
 aspectabile, in quo aves volitant, nec ipsos
 Planetarum orbés intelligimus, sed *cœlum*
cœlorum, quod sedes est & thronus divinæ
 majestatis, verè ὀλυμπός, vel ὀλόλαμος,
 ad quod tertium cœlum raptum se fuisse
 scribit D. Paulus, ad illa fortasse tria cœlo-
 rum genera respiciens, sicut Ambrosius
 existimavit, & ante Ambrosium Athana-
 sius. Illud cœlum, Auditores, etsi nulli
 sensui nostro objectum est, juxta illud A-
 postoli: *Quæ oculus non vidit, nec auris*
audivit, nec in mentem hominis venerunt,
ea sunt, quæ paravit Deus iis, qui ipsum dili-
gunt: esse tamen hujusmodi cœlum, &
 esse supra hos aspectabiles cœlos, alios,
 qui *habitaculum sanctitatis Dei* vocantur,
 ubi Christi & beatorum est totiusq; fami-
 liæ Dei māsio, perspicuis ac plurimis Scri-
 pturæ

2. Corint.
 12.

Quæstio-
 ne 9. ad
 Antiochū

1. Cor. 2.
 v. 9.

Deut. 2.6.
 v. 15.

pturæ testimoniis cōprobatur, & sine scelerē, summaq; & detestanda à *msi* à Christianis negari hominib⁹ non potest. Magnæ enim est, vel inscitix, vel imprudentiæ, ut nonnulli nostra ætate facere non dubitarunt, affirmare, cœlum Electorum esse ipsum Deum, juxta illud D. Pauli:

Deus erit omnia in omnibus: Et cùm Deus sit ubiq; , cœlum electorum esse ubiq; .

I. Cor. 15.
V. 29.

Sed quanta est illa ignoratio Elenchi, ut loquimur in scholis! Vnde probabunt, Deum, esse illud cœlum, in quo *thronus sanctitatis* ejus collocat⁹ dicitur, & in quo Christus nobis locum parat? Nonne manifestum est, apostolum, illis verbis *haudquaquam docere*, quodnam sit cœlum Electorum, sed, *Qualis eorum sit futura conditio post resurrectionē*, nempe talis, ut Deus ipse, cùm filius ei regnum resignaverit, in omnibus Electis sine interventu mediolorum, sine Verbo, sine Sacramentis per se regnaturus sit? Magnum itaq; discrimen est inter *Deum ipsum*, & inter cœlum, sive *urbem illam habentem firma fundamenta, cujus artifex & conditor est Deus*, quam omnibus fidelib⁹ paravit, ut loquitur Apo-

V. 10.

V. 16.

stolus Heb. 11. Magnum discrimen inter Deum inhabitantem cœlos, & illud habitaculum in excelsis, de quo Christus, Ioh.

v. 3.

v. 14.

14. *Assumã vos ad me ipsum, ut, ubi sum ego, & vos sitis: Et Ioh. 17. Volo, ut, ubi ego sum, ibi sint & ipsi, quos mihi dedisti.* Et August.

De sym-
bolo ad
Catechu-
menos.

Quod ex nobis suscepit, in cœlum levavit, & ad dextram Patris collocavit, fideique nostræ certum pignus dedit, quòd memòra sint ipsum secutura. Nam & ille error est intolerabilis; dextram Dei cum cœlo cõfundere: Creatorem cum creatura: Dei

v. 33.

potentiam cum ejus effectis. *Dexterã Dei dicitur Christus exaltatus & evectus, Act. 2.* quod certè de cœlo intelligi nequit. Et sedet quidem ad totam Dei dextram, non ad ejus partem: sed non est corpus ejus ideo factum Dei dextra. Aliàs ita quoque possit aliquis argumentari: Dextra Dei nõ est creata: Corpus Christi est ad dextram Dei: Ergo non est creatum.

Solutio igitur illius objectionis de sessione ad totam Dei dextram, hæc est: Sedere ad dextram Dei, non esse, fieri dextrã Dei, induere proprietates dextræ Dei, & coëxtendi ubique: sed, ut Apostolus in-
terpre-

terpretatur, Eph. i. *habere dominium & po-* v. 21. 22.
testatem, & omnia subiecta suis pedibus, &
esse caput Ecclesiae. Maneat, maneat Audi-
 tores, illud ratū & fixum, & hanc summā
 nostram consolationem eripi nobis non
 finamus, Christum Servatorem ascendis-
 se in altum, sursum esse, non deorsum,
 non animam solūm ejus, ut Cerdon hæ-
 reticus putavit, sed & corpus: nec in cœlo
 illo substitisse, ubi est Sol, sicut Hermoge-
 nes, & Manichæi nugati sunt, sed supra
 omnes aspectabiles cœlos, in cœlum cœ-
 lorum esse profectum: de quo Damascen^{us}:
 ἐν πλὴν ὁρατὸς τῷ ὁρατῷ ὁ πρῶτος ὁρατὸς ἐπάνω
 ὑπὸ λόγῳ τῷ σπρωματός: quemadmodum
 & Autor libri de mundo, & Platonici ipsi
 agnoverunt, extra istos cœlos habitare
 Deum, sed ita, ut simul omnia impleat:
 corpora autem beatorum etiam glorifi-
 cata, corpora tamen manebunt. Ideo li-
 cet non sit talis locus in illa cœlesti glo-
 ria, qualis hîc in his terrenis elementis:
 talis tamen est locus, in quo *corpora*
physica, quibus immortalitas quidem da-
tur, natura autem non aufertur, mane-
ant, & circumscribantur: Inde, inde,

inquam, descendet Christus motu locali, & eos, qui obdormierunt in Christo, secum adducet, ut testatur D. Paulus, i. Thessal. 4. Locus ille, non qualitatibus solum, sicut ubi-quetarii volunt, sed & situ ab Inferno distat, juxta illud: Est inter nos & vos hiatus ingens constitutus, ut ii, qui volūt hinc transire ad vos, non possint, neq; isthinc huc transire. Lucem autem & splendorem incōparabilem illius novæ Hierusalem luculenter

Lucæ 16

Apoc. 21.

In Apolo-
getico.

admodum, licet allegoricè, nobis describit D. Ioannes, Illam lucem, in illud cœlum, constituto prius in terris ministerio, circumfusa nube assumptus est Christus, inq̃ Tertull. multò veriùs, quàm apud Romanos asseveratur de Romulo in cœlū raptō. Ad illam nos quoq; patriā anhelamus & aspiram⁹. Nam si terrena patria, inquit August. ita dilecta est, quāta dilectio debetur supernæ patriæ propter vitam aternā: in qua erit festivitas sine fine: aternitas sine labe: serenitas sine nube: sanitas sine infirmitate: pulchritudo sine deformitate: jucunditas sine mœrore: sapientia sine errore: vita sine morte. ET HÆC QUIDEM DE PRIORI CAPITE, nempe de patria sanctorum, & de cœlo, in quod Christus ascendit, dicta sunt. VE-

VENIO AD ALTERVM, quod nos hæc tempora maximè cognoscere jubēt; certaque animi πληροφορία, ab omnibus verè Christianis hoc statui fundamentum, hæc catholicæ & indubitatae fidei summa firmissimè teneri, & credi sacris ex literis debet, *ita videlicet ascendisse Christum in cælum, ut tamen Ecclesiam non deseruerit, & arbitrio, vel fortuna, vel Mundi insanientis exposuerit, sed ejus etiam in mediis, quibus vexatur procellis & tempestatibus, patronus, custos & σωτήρ existat.* Ideo idē Ioan. 16.
v. 28. ille, qui dixit: *Relinquo mundum, ascendo ad Patrem, dulcissimis verbis promisit: Ecce vobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem sæculi.*

Errant igitur illi, & errant vehementer, summâq; nostris Ecclesiis injuriâ faciunt, qui negata corporali & naturali præsentia corporis Christi, aut ejus substantiali conjunctione cum symbolis panis & vini, *omnem negari præsentiam* concludunt, & nuda signa à nobis statui clamitant.

Longè, longè, satius erat, *varios præsentia modos agnoscere*, & qui modus huic mysticæ conjunctioni Ecclesiæ cum Christo conveniat, intueri: & *omnipoten-*

tia Spiritus S. id commendare, quomodo corpus in cælo positum, nobis sit præsens, quàm ejus omnipotentia, ad abolendam humane nature veritatem, & articulos aliquot fidei labefactandos abuti.

Valeat, valeat, illa Theologia, quæ, ut falsas hypotheses tueatur, falsa, & viciosa & contradictoria astruit, & cum veritate conciliare nititur.

FALSA EST HÆC HYPOTHESIS, quæ ex medio Papatu haustâ infeliciter, & cum magno Ecclesiæ scandalo & detrimento defendunt nonnulli, Domini nostri Testamentum, & totam nostram spem & consolationem in corporali exhibitione corporis & sanguinis ejus, quæ ipso corporis ore percipiatur, consistere. Ad hanc falsam hypothesein tuendam, Deus bone! quàm prodigiosa, quàm pugnãtia, quàm malè cohærentia multa axiomata excogitata fuerūt! Corpus Christi realiter & corporaliter esse in pane; & uniri substantiæ panis: neq; tamen id fieri, vel ulla vi secreta & pronuntiatione verborum recitatorum, vel ullo descensu in panem: Corpus Christi vivum exhiberi in pane: & tamen sanguis

sanguinem realiter seorsum effundi in calice: Vnum esse Christi corpus, & tamen singulos communicantes etiam diversis in locis integrum Christi corpus ore percipere: Corpus Christi reale & crucifixum pro nobis manducari, sanguinē realiter fundi: & tamen in Cœna invisibile, impatibile, gloriosū, infinitis in locis præsens percipi: Corp^o illud ore, sed non oraliter etiam ab impiis manducari: esse realiter, ubi est panis, sicut infans in cunis, pecunia in crumena, neq; tamē localiter: esse ubiq; præsens, etiam in foliis arborum & cantharis cerevisiariis: esse verum & reale corp^o, & simul habere, pprietates corporis, & pprietates destruentes corporis naturā: ut esse omnipotens, invisibile, infinitum. Quem errorē alii restringentes, restrictam cōmenti sunt Vbiquitatem, quam tamen non reperiūt in trib^o modis essendi, quos ex Scholasticis tradidit Lutherus. Nam restricta Vbiquitas, qua corpus sit simul in multis locis, sed non in omnibus: neq; sub locali, neq; sub definitivo, neq; sub repletivo modo cōprehenditur. Non min^o de ascēsu Christi in cœlū variè philosophati

Matheſius
in poſt.

Brent.
1. Andr.

sunt illi homines : quandoquidem alii metaphoricum finxerunt ascensum , ac si ascendere, de ascensu ad magnos honores esset accipiendum : alii, eum sic ascendisse statuerunt, ut interim omnia impleat, atque ita tam sursum, quam deorsum corpus illud ferri oportuerit : alii disparuisse Christi corpus voluerunt , & ei ne latum quidem pilum migrandum fuisse , ut iret ad Patrem : cum tamen passim apud Ioannem Christus illud IRE AD PATREM, interpretetur, pro eo, quod est RELINQUERE MVNDVM, ET IRE IN DOMVM PATRIS. *Ita sese involuunt, heu! & implicant atq; in varios errores, variasq; contradictiones precipitant, qui unum rectè intelligere nolunt, sicut gravissimè monuit olim vetustus scriptor Irenæus.*

Illud porrò unum, quod & rectè intelligi, & falsæ adversariorum hypothefi opponi debet, hoc est: Neque promissionem Evangelii, neq; quod eodem redit, Testamentum Christi, neque hujus promissionis & Testamenti sacrosanctum signaculum, Cœnam Domini, corporalem presentiam corporis Christi in elementis, aut oralem ejus manducationem

cationem & corporalem exhibitionem nobis
 vel uno verbulo commendare, promittere,
 aut obfirmare: imò ab illa nos abducere. In-
 quit Christus, Ioan. 6. *Caro non pdest quic-* v. 63.
quam: sc: carnaliter & corporaliter consi-
derata; quæ aliàs verè cibus est, & sanguis
ejus verè potus, quatenus caro illa tradita
p nobis: sanguisq; pro nobis fusus: qua-
tenus item in Christum credimus, & Spi-
ritu eius vivificamur. Sic & Apostolus
 2. Cor. 5. *Etiamsi Christum aliquando novi-* v. 16.
mus secundum carnem, nunc tamen non am-
plius novimus, sc. carnali & corporali præ-
sentia, quæ fuit temporalis. Quare si quis
est in Christo, nova, inquit, creatura est: & v. 17.
per consequens, Christum jam oculis Spi-
ritus intuetur, ore fidei percipit; & ea ra-
tione, quæ convenit regeneratis, qui, ut nò
corporali ingressu in corpus aliquod, renascū-
tur, sic nec corporali ingressu corporis in os,
nutriuntur ad vitam aternam: & tamen &
verè nascuntur denuò, & verè pascuntur:
quia verè Christum habent in se habitantem,
& longè veriùs fit, quod adminiculo Spiritus
S. fit, quàm quod oralis manducationis, corpo-
raliumvé organorum fit adminiculo: imò id

demum verè ad salutem percipitur, non quod ore, sed quod ab anima fideli percipitur.

Non igitur instituit Dominus sacram Coenā, ut advehatur corpus ejus corporaliter in panē, aut in os, quia nec talis præsentia usquam promissā est in Evangelio; nec esset vivifica, nec consentanea gloriæ corporis Christi regnantis in cœlis: sed, quemadmodum verba sonant, salutarem ac certā instituit sui hinc corpore discedētis ἀνάμνησιν, donec in die judicii corporaliter veniat nos assumiturus, ut in sempiternū cum eo simus, qui nūc mystica unione, & in cordibus nostris habitans perfidem, tam arcetè nobis conjūctus est, ut nos

Ephes. 5.
v. 30.

MEMBRA dicamur CORPORIS IPSIVS, Corporalem illam præsentiā interim expectam⁹, EAMQUE TANTO OPERE D. PAVLVS EXPECTIVIT, inqt Cyrillus, VT VITÆ HVIC IN TERRIS LONGE ANTEPONERET. Verūm eam in hac vita nobis non contingere, satis ostendit, quando dixit: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Id, inquam, cupivit & optavit S. Apostolus, qui aliās ad Galatas scribit: *Vivo ego, non ego tamen amplius, sed vivit in me Christus: vitam, quam nunc vivo*

Philipp. 1.

v. 29.

vivo

vivo in carne, vivo per fidem Filii Dei, qui dilexit me, & seipsum pro me tradidit, &c.

Quòd verò apud Veteres nonnunquã dicitur: *Corpus Domini dentibus premi, in os intrare, fragmenta ejus in canistro portari, & in terram cadere*: quis non videt, sacramentales esse locutiones, ubi propter unionẽ sacramentalem, quæ nullo modo est physica, sed *σχετικὴ*, res signata de signis prædicatur?

Neq; tamen huc nostra spectat oratio, ut nullo modo nobis præsens sit Christi corp⁹: aut cum solo Spiritu ejus *κοινωνία* habeam⁹. O B I E C T V M ENIM FIDEI NOSTRÆ EST TOTVS Christ⁹, & tota illa indivisaq; persona: quia nec Spiritus sine interven- tu carnis nobis cõmunicari, nec caro vivi- fica esse possit, nisi esset caro *λόγος*, & ejus, qui est naturaliter vita: *Sed modum percep- tionis*, cùm hîc agatur de mysterio cœ- lesti, de vita animæ, de manducatione & perceptione corporis exaltati in cœ- lum, *cœlestem & spiritualem esse* certè ne- cesse est. Sic igitur *pia & orthodoxa ve- tustas*, modos præsentia corporis Christi distinxit, & salutarẽ ejus præsentiam expli-

cavit: ut nimirum magno consensu semper docuerit, totum Christum Ecclesie sue adesse, & ubicunq; est Christus, habere humanitatem, quam assumpsit, indissolubili nexu sibi copulatam: Verum cum due sint nature diverse & distincte, Deitas & Humanitas, alio modo presentem esse ratione Deitatis, quae infinita est: alio, ratione humanitatis, quae in ipsa unione, & in ipsa gloria proprietates veri corporis servat. Nam, ut rectè pronūciavit sexta Oecumenica synodus: Si quis naturarum proprietates tolleret, ipsas tolleret naturas. Neque tamen Christus contra voluntatem suam, naturae legibus subjectus est, cum sit Dominus naturae: sed assumpta carne nostra, sponte proprietatibus illius carnis se subiecit, & de eius corpore & veritate humanae naturae, quae fundamentum est spei nostrae, & resurrectionis nostrae, nobis statuendū & credendum est, ut sese in Verbo suo patefecit: *Palpate & videte*, ait, *quia Spiritus carnem & ossa nō habet, quē admodum me videtis habere*. Ita, idem Christus, inquit Cyrillus, natus est & genitus ex virgine: θεῖκως καὶ ἀνθρώπινως, θεῖκως, respectu λόγῳ assumētis
massani

Lucæ 14.

massam nostrā: ἀνθρώπινος, respectu vere
 nativitatis, & veri part^o naturalis: qui Luc.
 2. nobis describitur. Sic in Ascensione, in-
 quit Augustinus, sub una eademq; Perso-
 na in eo, qui elevat, divinam potentiam:
 in eo, qui elevatur, humanam cognosco
 substantiam: ascendit ad Patrem, per id,
 quod homo erat: semper mansit in Pa-
 tre, per id, quod Deus erat.

Modi porrò distincti, præsentiaē corpo-
 ris Christi, & in Scripturis, & in Veteribus Modi præ-
sentiaē.
 sanctis Patribus hoc modo traduntur: ut
primus sit substantialis, quo corporea sub-
 stantia, qualis est humanitas Christi, præ-
 sens dicitur, corporaliter, localiter, natu-
 raliter, ut fuit in terris post Incarnationē
 usq; ad Ascensionem: & nunc in cœlis est,
 usq; ad diem Iudicii. Et sic Augustinus in
 Epistola ad Dardanum: Secundum ho-
 minem in terra erat, non in cœlo, ubi
 nunc est. Noli autem dubitare, ibi nunc
 esse hominem Iesum Christum, unde vē-
 turus est, memoriterq; recale, & fideliter
 tene Christianam confessionem, quoniā
 resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum,
 nec aliunde, quàm inde venturus est ad

Christus illam Humanitatis suę præsentiam
 mūdo substraxerit, exposuit ipsemet Ioh.
 16. *Expedi vobis, ut ego abeam: Quare? ni-*
 mirum, *ut fides edificaretur, quæ languida*
fuit, dum à visibili & corporali præsentia pæ-
debant Apostoli, & languidiores multò eo-
rum erant preces. Vnde Christus dicebat:
Hacten^o, dum sc. corporaliter me præsen-
 tem habuistis, *non petiistis quicquam in no-*
 mine meo.

Ioan. 16.

v. 24.

Præterea testatus est Christus, se corpo-
 re suo discedere in cœlū, ut ibi nobis para-
 ret locum, & esset in cœlis arrhabo nostræ
 resurrectionis. ILLAM, ILLAM CONSOLA-
 TIONEM tollunt, qui vel tale corpus, quod
 nostris non sit *ἁμωσιον* ei affingunt, vel eū
 in terrenis elementis, quàm in cœlo esse
 malunt: *In valo*, inquā, unde Spiritum S.
 paraclerum illum, aliaq; varia dona, quib^o
 Ecclesiā implet, & ornat; mittit; & ubi est
 æternus Sacerdos & Mediator apud Patrē.
 Nam, si esset in terra, inquit Apostol^o, ad
 Hebr. ne Sacerdos quidē esset, sc. veri san-
 ctuarii & tabernaculi, cū in terra esset ty-
 pici tantū Sacerdotes, qui secundū Le-
 gem dona offerrebant. Ergo multis nomi-
 nib^o

Hebr. 3.

v. 4.

hib^o necesse fuit, illū absoluto curriculo &
 constituto Ministerio Evangelii abire in
 cœlū, & corporaliter esse in cœlo. Sed n.
 an ideo, queso, nullo modo præsens est Ec-
 clesiæ? Vel, an ideo *corporis veritatem, quæ*
est fundamentum spei nostræ, destruem^o, ut
 præsentiā nescio quā corporis, non cor-
 poris, in panē, & extra panē, in cœlo &
 in cœno, ut quidā Impurus aliquando lo-
 cut^o est, imaginemur? Absit à nobis utraq;
 illa perversa persuasio. Nam PRÆSENS, PRÆ-
 SENS EST OMNINO ECCLESIAE TOTVS Alter mo-
 dus præ-
 sentiaæ.
 ET INDIVISVS CHRISTVS, *primū*
 arctissima conjunctione, & mystica unio-
 ne, quam nobis Evangelium prædicat,
 quam Sacramenta obsignant. *Fidelis De^o,*
 inquit D. Paulus, *per quem vocati estis in*
communione Filii ipsius Iesu Christi, Domi- 1. Cor. 1:
 v. 9.
ni nostri. Talis porro communio cū sit
 mystica, & cœlestis, non solum non tol-
 litur per distantiam locorum, sed hoc re-
 quirat, ut Christus sit sursum tanquam ca-
 put Ecclesiæ, à quo deinde omnia bona
 dona in Ecclesiam defluant, ut balsamum
 illud preciosum à capite Aaronis in totam
 oram vestimenti defluebat. Psal. 133.

Tertius
modus
praesentiae
corporis
Christi.

Tract. 50.
in Ioan.

*Est praeterea nobis praesens singulari eue-
yēia, de qua Cyrillus. lib. 9. in Ioann. cap.
21. Credere oportet fideles, quamvis à nobis
corpore absit: virtute tamen sua omnia gu-
bernare, adesseque semper omnibus, qui eum
diligunt. Vnde dicebat: Amen, amen
dico vobis, ubi sunt Duo, aut tres congre-
gati in nomine meo, EGO sum in medio eo-
rum. Dicit EGO ipse: ne quis in duos filios
dividat Christum, qui unus est in utrâq;
natura, licet diversis proprietatibus constet.
Sic Augustinus: Cum auditis Christum di-
centē, inquit, ME NON SEMPER HABE-
BITIS: ne sitis, ô boni, solliciti: De praesen-
tia enim corporis loquebatur. Secundum Ma-
jestatem, secundum providentiã, secundum
ineffabilem gratiam impletur illud: Ecce
vobiscum sum omnibus diebus usq; ad cōsum-
mationem seculi. Et quomodo quæso cō-
sisteret parvulus grex, quē nunc totis mille
quingentis, octoginta octo annis, tanto
furore, post Christi Ascensum in cœlum
adortus est Sathanas, tot potentissimis
monarchis, tot populis furentibus conci-
tatis in Ecclesiam, nisi brachio suo potēti
adesset Ecclesiae, & in cœlo sic esset, ut in-
terim*

terim inimicos nostros ponat scabellum pedum suorum, & se nobis communicet per Spiritum suum habitantem in nobis, consolantem & erigentem nos: per Evangelium suum, in quo cum quotidie quasi ob oculos crucifixum videmus, ut loquitur D. Paulus. Galat. 3.

Præsens est ergo nobis, cujus Spiritu & vita vivim⁹: quem in Verbo audimus, & in Sacramētis contemplamur. Nam qui nihil edi putant, nisi quod ore comeditur; nihil videri, quod oculis corporis non videtur; non esse præsens, quod non localiter præsens est: ex Christianorum scholis, imò ex hominum societate ad bruta animalia, quæ sensuali vita tantùm vivunt, relegandi sunt.

Sed nolo clarissimo huic & ornatissimo cœtui longiore oratione molestus esse. Hoc solùm subjungam: nullum esse ex vobis, cui pariter in hoc auditorio non sim præsens, licet non eodem loco stem, quo vos singuli statis, aut sedetis. Cur nobis noster ille Immanuel non sit præsentissimus, licet corpus ejus eodem loco nō sit positū, sed in co throno gloriæ, in quo

eum collocari decebat, ut eò efficacius saluberrimæ ejus præsentix, & potentissimæ gubernationis effecta sentiremus? Furat, sæviat, minetur, & fremat, quantum volet Antichristus, & de nostris calamitatibus, & aliquot nostrorum heroum morte triumphos agat. Errat, errat, si Ecclesiam putat esse orphanam. Sentiet ipse, & sentient furoris ejus administri nostri, Audient aliquando illam vocem non sine consternatione: *Saul, Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare.* De quibus verbis, in hunc modum scribit Augustinus, *Caput nostrum est in cælis: sed ne putes, quod separatum sit caput à corpore. Discretum enim est locis, sed junctum affectu. Ipsa affectus conjunctio clamavit: Saule, Saule, quid me persequeris? &c.*

In Psal. 91.
Actor. 9.

illum ego, Triumphatorem nostrum, Immanuelem nostrum, caput Ecclesiæ, Regem regum, Dominum dominantium toto pectore precor, ut de cælis & throno Majestatis respiciat Ecclesiam à tot Cyclopibus oppressam: hostium consilia dissipet:

pet : hanc nostram Sareptam unà cum
Clementissimis nostris Principibus cle-
menter tueatur, faciatque, ut ruentibus
passim Mundi Imperiis, & vergente
Mundo ad finem, corda sursum attol-
lamus ad Dominum Iesum;
cui sit honor & gloria
in sempiternū.



K + QRA

350 ORATIO SEPTIMA.
EUCHARISTICA
ULTIMO DECEMB;
HABITA, ANNO dñ. 15. XIII.
POSTQVAM DEVS CLASSEM
ILLAM HISPANICAM
DISSIPASSET.



*QVAM gratiam referam Domi-
no pro illis omnibus, quæ in me
contulit, beneficiis! Sumto cali-
ce, quo gratia aguntur pro acce-
pta salute, nomen Domini invocabo, meaque
vota exolvam Domino coram universo po-
pulo ejus. Lubet n. Illustrissimi Principes,
Rector Magnifice, ceterique Nobilissimi,
Clarissimi & Ornatissimi omnium Ordi-
num viri, ac juvenes lectissimi, Eucharisti-
cam hanc nostram Orationem ab illâ lu-
culentâ Davidis gratiarum actione, quæ
Psalm. II6. extat, inchoare. Et certè, ut D.
August. verbis utar, quid melius, vel corde
geramus, vel ore promamus, vel calamo ex-
planemus, quàm gratias Deo Optimo Max.
Nihil quippe, inquit Seneca, grato animo
est honestius. Omnes hoc urbes, omnes
etiam ex barbaris regionibus gentes con-
clama-*

clamabunt in tantâ judiciorum diversitate referendam benè merentibus gratiâ, omnes uno ore affirmabunt, in hoc tam discors turba consentit.

Sed video, video, inquam, Auditores, quàm grave, quàmq; arduum in me hodie susceperim munus, qui gratias agere in tam solenni cœtu institui, *primum* ei, cujus beneficia vel hoc ipso anno in hunc Palatinatum, in hanc Ecclesiam, Remp. Scholam collata, nec cogitando cõplecti, nec numerando percensere posset, ne is quidem, qui Periclêa aut Demosthenica Eloquentiâ, & acumine Carneadio, vel Aristotelico præditus esset, magno illi nimirû hujus Vniversitatis Rectori & Moderatori sapientissimo Domino Deo Patri nostro clementissimo: *deinde* Illustrissi, & Generosissimæ indolis, heroicæq; expectationis Principi, Dom. Friderico, Comiti Palatino ad Renum, Duci Baviariæ, qui per biennium integrum inclytæ hujus & vetustæ Academiæ Rectoratû tam feliciter gessit, ut spem jam indubitatam bonis omnibus afferat, felicissimæ aliquâdo gubernationis & seculi cujusdâ aurei,

quod ipso non postremum sacri Imperii
 clavum aliquando tenente, renasciturum
 videtur. Verum enimverò illud me recre-
 at, quod, ut maximè mihi tam gravis pro-
 vincia incumbat, vos omnes habeo hu-
 jus gratiarum actionis nō solūm suffragar-
 tores, verūmetiam socios; & me apud eos
 dicere video, quorū mihi perspecta æqua-
 nimitas est, quib⁹ illud quoque optimè est
 notum, *CVI GRATIA pro meritis referri
 nequit, satis esse, si habeas, quam maximam
 animus capere potest.*

Vt igitur, Auditores, ad rem ipsam ac-
 cedā, memini, cū anno superiore ex hoc
 loco dicerem, me Dom. Deum sollicitè vo-
 biscū comprecaturū, ut annum, quem nos
 statim à primo exordio luctiferū esse præ-
 sentiscebam⁹, & toti Europe fatalē, si ita lo-
 qui licet, fore, non pauci, superiorib⁹ re-
 trō tēporibus, augurati sunt, feliciter no-
 bis procedere pateretur, & ppter Ecclesiā,
 quam sanguine Filii sui redemit, eas cala-
 mitates averteret, quę Conglomerari tūc,
 & horribilis tēpestatis instar nos & fratres
 nostros variis in locis oppressuræ videbā-
 tur. Nec fuerunt profectò vota illa nostra
 inania:

inania: nec inanes preces extraordinariæ, quas statim ab initio an. in Palatinatu haberi voluit Optim^o, Sapientiss. & Fortiss. Princeps, & Dom. D. Ioan Casim. Comes Palat. ad Renum, Dux Bavarix, Electorat^o hujus Administrator, Dom. & Patronus noster Clementissimus: nec inanes fuerunt preces cum jejunio & gemitibus cōiunctæ, quas eodē tempore, Ecclesiæ omnes exteræ per Galliam, Angliam, Belgium, & alias Regiones dispersæ, solenniter, & religiosè habuerunt: siquidem anni

FleBILE Principiū melior fortuna sequuta est.
 Nam, Deus bone, quàm tristia, quàm flebilis fuerāt hujus an. exordia! Quàm multos cōsceleratos hostium conat^o represit Deus, & à nostris jugulis, corū ferrum & tela dejecit! Quoties tecta nostra, fortunas nostras ex flammâ & furialibus ignibus, quos alibi accensos vidimus, eripuit? Ponite vobis ob oculos, Auditores, temp^o illud, quo deserto & lamētabiliter fuso exercitu nostro in Gallia, tota Antichristiana factio cristas passim erigebat, hinc ferro & flammâ sevens in finib^o Imperii: illinc Principib^o ipsis Palat. minas intentās, & copias

jam in terram Palatinam infundens: Recordamini, quanta tunc trepidatio domi-
 quanta in fociis & vicinis partim ignavia,
 partim perfidia fuerit, quamq; multi jam,
 Idumeorum instar clamare viderentur:
 Eruite, eruite, ex imis evertite fundamē-
 tis! Revocate in animum eodem penē
 tempore vim lethi abstulisse ipsis Ianuarii
 Calendis, Generosissimum Ducem Bilio-
 neum: paulò post sub finem Februarii ve-
 neno extinctum fortissimum illum & in-
 clytū Principem Condecum: nec ita mul-
 tò post è vivis excessisse Serenissimum &
 cordatissimum Daniæ Regem; quasi sin-
 gulis pvinciis eripere Deus voluisset Nu-
 tricios Ecclesiæ, ut omnia hostium libidi-
 ni paterent, & superesset nihil, quàm, ut
 in ejulatus & planctus solveremur, & cū
 Ierē. in lamentat. diceremus: *Venit sum-
 ma dies: Omnia destruxit Iehova sine cle-
 mentia: Convocavit quasi ad Panegyricum
 conventum formidines meas circumquaque:
 neq; est die Iehova, qui evadat aut superstes
 maneat. Spiramentum narium nostrarum,
 unctus Iehova, capitur in foveis istorum, de
 quo dicebamus, in umbra ejus nos victuros*
inter

Cap. 2. 21.

Cap. 2. 22.

Cap. 4. 19.

20.

inter gentes, &c. Nec minùs tunc trepidabat Anglia, quàm Germania, Gallia & Dania, ppter terrificū illum apparatū gloriosissimæ classis Iberæ, quæ auspiciis Antichristi Romani, & auxiliis procerum aliquot Italiae incredibili sumptu instructa vastum mare cooperire, & totam Britanniam cum Belgio oppressura, & sub jugū missura videbatur. Nam & eodem tempore exercitum habebat Iberus in Belgio numerosum, in quo milites veterani crāt, & Dux Leo, *qui nec vinci nec cedere didicerat, & ad ipsas maris ripas consistens, Imperium Angliæ ac Belgii spe jam devorabat.* Et tunc, proh dolor, tanta in Germaniâ nostra vel securitas, vel ignavia, mensq; læva in plerisq; fuit, ut ociosi essent publicæ calamitatis spectatores, & tali Ecclesiæ statu non secus, ac si res Exoticæ, & ad se nihil pertinentes fuissent, parum afficerentur: ac in medium conferrent nihil, quod hujusmodi tetris & furiosis conatibus opponeretur. *Solus, solus ferè* (quod absque invidia dictum velim) Illustrissimus & fortissimus Princeps & Dominus, Dominus IOANNES CASIMIRVS optimi & maxi-

Psalmi. 46

mè inclyti Patris Filius, memor fortitudinis avitæ, memor officii erga patriam, & erga Ecclesiam, memor divinarum pmissio-
 num, & illius Psal. quem laudatissimi Celsitudinis ejus Patens rebus dubiis usurpare
 solebat: *Deus nobis auxilium est & robur. auxilium in angustiis presentissimum*: licet non minimam belli Antichristiani mole in se derivari, & tela in suam celsitudinem vibrari videret, infractum gessit animum, & ea executus est, quæ à pio, à forti, & provido requiri Duce poterant. Nam, quæ ad Dominum Deum exercituum placandum pertinebant, non prætermisit: & quæ ad subditos erigendos, & à longâ quiete ad bellica exercitia, & militarem aliquam disciplinam revocandos, & ad confinia Palatinatus munienda, & propulsandum ab Imperio hostem necessaria erant: ea mira industria & celeritate perfecit, ita, ut paulò post, non tam hostis Casintiro, quam Casimirus hosti formidolosus esset, & talem omninò Casimirum Liga Romana agnosceret, quales veteres Romanos post Cannensem cladem fuisse scribit in Officiis Cic. eos videlicet majores animos habuisse, quam unquam rebus

reb' secundis: tanta vis, inquit Cic. est honesti, vel, ut nostro stylo loquamur, tanta vis est bona conscientia, & bona causa. Nam qd justius, qd convenientius, quam piū Principem pro patria, p Eccles. pro subditis, p liberis & fortunis esse in excubiis? Apud veros certē Dei cultores, ut verissimē scribit August. ipsa bella pacata sunt: quae non cupiditate, sed pacis studio geruntur, ut malū coerceantur, & boni subleventur. Sed, ut idem ait, qui praesumit de viribus suis, antequam pugnet, ipse prosternitur. Et Salomo Proverbiorum 16. *Ante confectionem superbia, & ante lapsum alti sunt Spiritus.* Id ipsum, Auditores, statim experta est superba illa, & omne nefas animo movens factio Romana, ad cuius nefaria facinora & intolerabilem audaciā diu connivere non potuit, Τῶδες ἐν δμοῦ ὄμμα. Nam multa quidem extant crudelitatis, multa arrogantiæ & audaciæ exempla, qualia sunt inter alia Ajacis, & Timothei illi Athenensis: sed si in unum acervū congregentur cum superbia & audaciā Liga Romanæ Pontificia conferri non possunt. Quapropter Iustissimus mundi arbitet, homi-

De diversis
Eccles. obs.

v. 18. &
cap. 18. v.
12.

nestam flagitiosos, qui omnem numinis
 reverentiam & humanitatem omnem ex
 animis suis ejecerant, non diu ita lascivire
 & ferocire passus est: sed eos potius intem-
 pestivè triumphâtes, partim inter se ipsos
 commisit, partim tanquam tauros coro-
 natos in sacrificiis, ad mactationem duxit.
 Ecce enim statim pars hostiû, velut repa-
 gulo divinitus ipsis objecto, circa Sedanû,
 Iametium, & Bonnam consistere, & quasi
 in scopulos impingere cœpit, ut sentirent
 feroces hostes Deum Omnipotentem et-
 iam per pupillos & pupillas, quibus Seda-
 num refertum erat, & per humilia media,
 fortia confundere posse: nec diu inultam
 relinquere voluisse horribilè illam grassa-
 tionem, quam in agro Mombelgardenfi
 exercuerant: ibi, inquam, statim cõversa
 numina, & sese ad supplicium & pœnas
 postulari sensit hostis: cadentibus & mi-
 serè pereuntibus plerisque illis sicariis, &
 immanibus grassatoribus circa Bonnam
 & Iametium: paulò post, sive seriò, sive si-
 mulatè, æterno tamen & indelebili Regû
 Galliæ cum dedecore, Rex, cujus triûphi
 de Germanico exercitu reportati, Lutetiæ
 quoti-

quotidie decantabantur, Lutetiâ se turpi-
 ter proripere, & inde quasi exulare visus
 est: vimq; sibi, arcibus, ac penetralib⁹ suis,
 nec non & militibus præfidiariis ab iis ad-
 ferri sensit, quos in sinu antè gerebat, &
 biduo antè in conclave suum familiariter
 admiserat, quibus deniq; ministris con-
 tra Germanicum exercitū usus erat. Quid
 quod eodem tempore Gallica Pontificia
 signa, Pontificii mucrones prope Melo-
 dunum Gallicis Pontificiis signis & mu-
 cronibus, Guyfiaca, regiis opposita fuere,
 & Pontificia dextrâ Pontifici⁹ miles con-
 fossus cecidit: & Rex antè victoriosus, tri-
 umphatisq; , ut arbitrabatur, tot fortissi-
 mis gentibus, à subditis, à familiaribus, à
 famulis suis desertus, proditus, fugatus,
 muliebriter, & flebiliter de injuria à suis
 acceptâ literas ad suos præfectos dare con-
 spectus est? Nunc verò, si vera sunt, quæ
 constans aliquot dierum fama ad nos
 perfert de nece Ducis Guyfii, quem Rex
 impotentius imperitantem, & Regii Im-
 perii æmulum in media aulâ trucidari
 curavit: Deus bone, quàm copiosa hîc
 rursus materies, divina, & admirabi-
 lia Dei

Fuit vera
 fama: pri-
 die enim
 natalis
 Dom. cū
 fratre Car-
 dinale in
 Regia Ble-
 fiiis truci-
 datus fuit.

lia Dei iudicia, mirasque rerum vices agnoscendi, & illud Davidis Psalmo 52. usurpandi: *Quid te jactas in malo, o potens, ecce virum illum, qui non proposuerat Deum robur suum: sed confidebat amplitudini sue.*

Psal. 52.
v. 3. & 9.

Hæc, hæc, inquam, Auditores, si memorabilia non sunt; si iudiciorum Dei documenta esse illustria non agnoscimus: non video, quibus historiis, quibus exemplis affici, percellivè pectora mortalium possint? An non quæso illa omnia, nostra memoria eaq; recentè, gesta, inter illas veteres historias, & decantata, iudiciorum Dei omnipotenti contra Sardanapalum, Sancheribum, Balthasarem Babylonium, Mauricium Imperatorem exempla, numerari possunt? Nisi quod hic postremus illis beator, sub potenti Dei manu ingemuit, justamq; ultionem sentiens, in hæc verba moriès erupit: *Iustus es Domine, & justum est iudicium tuum.*

Verùm enim verò, Auditores, quæ tanta potest existere ubertas ingenii: quæ tanta dicendi

cendi copia, quæ Dei armipotentiſ, & terra
 mariq; hoſtes ſuos ulciſcentis potentiã,
 bonitatem, manum fortem, quam vel
 hoc anno contra Hiſpanicam claſſem exe-
 ruit, utcunq; ſaltem adumbrare poſſit?
 Imminebat illa jam Britannia, & cum
 ipſis ventis adverſis diu luçtata, ſua ingen-
 ti mole ita formidabilis erat, ut, quod de
 Cananais ſcribit Moſes, Iſraëlitas præ illis
 nihil viſos fuiſſe, niſi locuſtas: ſic Anglica
 naves præ Hiſpanicis, tuguriola, humi-
 lesq; caſa è regione ingentium arci-
 um ac turrium eſſe viderentur. Anxiam
 inprimis reddebat ſereniſſimam Regina
 longæ pacis pœna, quòd populum vide-
 licet ſuũ luxu potiùs diffluentem, quàm
 in bellicis rebus exercitatum & factioni-
 bus, quas Ieſuita multis jam annis ſovent,
 totum diſtractum haberet. Alacrem rur-
 ſus illam reddebat optimæ cauſæ defen-
 ſio, injuſtaq; Iberorum incurſio, nec
 non eorum beneficiorum recordatio,
 quæ plurima certè his annis triginta in
 Eccleſias exteras & afflictas contulerat.
 Et in mentè ei procul dubio veniebat Pſal.
 ille Heroicus 89. O Iehova Deus exercitu-

v. 9. 10. 11. 12. um, quis est partibi? Tu dominaris in superbiam maris, quum attollunt se fluctus ejus, tu reprimis eos. Tu cōtrivisti tanquā confossum Aegyptium: brachio roboris tui dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cœli, etiam tua est terra, &c. Quid, quòd arca Noæ in mediis illis, & circumfusis fluctibus sine velis & remis, & sine visibili gubernatione servata est? Quid quòd Xerxem illum, qui omnia maria exercitu cōplebat, ut habēt historiæ, Græci olim parva manu fuderunt? Quid quod rebus angustis viri boni maximè animosi & fortes esse solent?

Scilicet adversis probitas exercita rebus,

Tristi materiam tempore laudis habet.

Fuit, fuit istud auxilium verè ἀπὸ μὴ χροῦν, verè digitus Dei, quòd *funesta illa classis, in quam omne nemo cecidisse videbatur, variis vicibus quassata, profligata, mersa, & juxta præclarum illud beati Athanasii dictū, nubecula instar dissipata est.* O quàm dulcis recordatio tantæ liberationis! O quàm suavis odor huj⁹ divini favoris! Qui facit, ut recorder ejus, quod lib. 17. Naturalis Historiæ scribit Plini⁹ de iride, & pluvia,
nul-

nullum odorem ex omnibus acrius mo-
 vere nares, & majore voluptate implere,
 quàm eum, qui excitetur à pluvia unà cū
 iride delapsa in aridas herbulas. Id sanè
 optimè accommodari ad eam suavitatem
 & voluptatem potest, qua piorum animi
 implentur, cum in magnis angustiis velut
 in magna ariditate constituti, divini favo-
 ris guttulas in se destillare vident, ac senti-
 unt: Virtute nimirum illius iridis, id est,
 fœderis æterni, pacti cum Ecclesia, cujus
 Deus Opt. Max. oblivisci nunquã potest.
 Vt maximè autem Antichristiana factio
 hanc Dei Omnipotentis manū non agno-
 scat, nec icta sapiat, sed adversus Deum po-
 tius fremat, aut remotissimas causas accu-
 set, non secus ac Medea, quæ arbores exe-
 crabatur, ex quibus fabricata erat navis illa
 quæ vexit Iasonem, & Argonautas: sen-
 tiant tamen impii aliquando, se frustra
 contra stimulos calcitrare, & cum Iulia-
 no Apostata Galilæum vicisse, id est, Do-
 minum Iesum solum victorem, hostiūq;
 domitorem & triumphatorem confite-
 buntur. Interim, nos securos esse, non
 convenit, sed πρὸς τὴν κτλ. ἀὴν στρατεῖαν semper

esse comparatos, & in rebus prosperis & ad voluntatē nostram fluentibus, ut Cic. ipse I. Offic. monet: superbiam, fastidium, arrogantiam fugere: & quanto superiores sumus, tanto nos gerere submissius.

Ceterū inter summa Dei O. M. collata in nos hoc anno beneficia numerandū & illud existimo, Audit, quòd, licet totis jam viginti annis irrequieti quidam ubiquitatis præcones nihil aliud moliuntur, quàm, ut Evangelicas Ecclesias magis magisque distrahant, & semina dissidiorum spargant, ac denique furiarum instar possint *unanimis armare in prælia fratres, atque odios versare domos*: Dominus Deus singulari bonitate magnorum aliquot Germaniæ Principum consilia ita gubernat, ut illorum hominum furiosis vocibus contemptis, ea quæ pacis sunt, sectentur, & veterem religionem, veterumque Præceptorum auctoritatem novis novorum istorum Theologorum placitis, qui prætextu majestatis Christi, suam propriam quasi verunt gloriam, anteponant. O nos igitur beatos, qui Deum tam propitium experimur! Beatiores, si tot, & tam illustribus pro-
voca-

vocati beneficiis ad ipsum toto corde re-
 verteremur, & tam pium, tam benignum
 patrem redamaremus. *Si enim cōvertere-
 mur, inquit August. nūquam everteremur.*
 Et Psal. 81. Deus ipse ita nos affatur: *O si
 populus meus auscultasset mihi, si Israëlita
 in viis meis ambulassent; vel uno momento
 inimicos eorum depressissem, & in hostes eorū
 manū meam convertissem.* Nos verò dem⁹
 saltem operam, ut tantorum Dei bene-
 ficiorum memoriam grata mente cola-
 mus, & sicut suo nos exemplo David Psalm. 34.
 invitat *Omni tempore Iehova benedicamus,
 & nomen ejus pariter extollamus.* Sed,
 ut ad privata beneficia Dei erga hanc Ec-
 clesiam, & Scholam accedam, illud
 meritò summum agnoscimus, & pro-
 fitemur omnes, quod te, Friderice Prin-
 cept Illustrissime, & Generosissime,
 tam piè, tam sollicitè ab Inclyto Illustrif-
 simo; q̄ patruo tuo, Domino Ioanne Casi-
 miro, Domino nostro Clementissimo
 educari voluit, tibiq; Ephoros, morum
 & disciplinæ præfectos adjunxit, viros pie-
 tate, doctrinâ, experientia præstantes, qui,

qualem te suo tempore tradituri sint gubernaculis Reipublicæ, indicio fuit & specimen summum, Rectoratus Celebrerrimæ hujus Scholæ à T.C. tanta moderatione, prudentiâ, tantâq; cum significatione summæ erga literatos, & imprimis erga sinceram Religionem affectionis administratus, ut nihil restet, quod tuæ Celsitudini comprecemur, quàm, ut eam Deus diu superstitem esse velit, & tam pium, tam benè educatū & pectus ab omnibus illecebris Sirenium, & adulatorum, qui verè sunt & κόλακες & νόρακες, incorruptum, & integrum seruet. *Necesse est*, inquit Aristoteles lib. 7. Politicorū, *futurum Principem, vel subditum esse, vel fuisse, ut rectè Imperare possit.* Cur tu non rectissimè aliquando imperes, qui Deo, & Patriæ te consecrasti, & honestissimis legib⁹ ab ipsa pueritiâ te subjiçis? *Necesse est*, inq̃t Plato, *eum qui in re aliqua excellere velit, τὸ ἐκ παισῶν μελετᾶν παίζοντα τε καὶ ἀδίζοντα*: Illud à pueris meditetur, sive ludat, sive seria tractet. Quid non eximii de tuâ gubernatione in posterum nobis spondeamus, qui à pueritia Rectoratu fungēs,

ca me-

ea meditari & agere cœpisti, quæ ad gubernationem, & imprimis ad pietatem pertinent? Quid quod in hac ætate, & in tuo Rectoratu ea egisti, urfisti, cōsequutus es, & non nisi illis perfectis Magistratum deponere voluisti, quæ jam totis viginti sex annis Academia consequi non potuerat, ut scilicet legum, & statutorū Academiæ revisio institueretur: supervacanea rescanderentur: necessaria insererentur: sumptus studiosæ juventuti incapessendis gradibus minuerentur: omnes in officio continerentur: Professione Historica Academia augetur: Annales conscriberentur: omnia denique ritè, & decenter tum à docentibus, tum à discipulis fierent? Multum omnes Academiæ Lothario Saxoni debent, qui, auctore Irnerio Iurecos. leges bonas & scholas instauravit. Multum tuis majoribus Academia Heidelbergensis debet, quæ scholam hanc constituerunt, & ornarunt. Tibi verò plurimum meritò se debere proficitur, qui illam quasi senescentem & nutantem sustentasti, nonnullorumque malevolentia deformatam splendere fecisti, turbatam pacasti, & non professorum solùm,

verum etiam studiosorum summam rationem habuisti. Hujus rei, dum Heidelbergam stabit, monumenta inter alia erunt tum fons ille in cōtubernio, sub Rectoratu tuo derivatus: tum instaurata planè domus Dionysiana, quæ omnia nepotibus & posteris testificabuntur, quàm *magnificum* habuerit Academia, *te Rectore, Rectore.* Facessant igitur amicitia pestes, suspensiones: facessant, & ex animis studiosæ juventutis ejiciantur iniqua nonnullorum de instituta reformatione judicia, aut præjudicia potius à nescio quibus suggesta: & Deo potius Opt. Max. gratia agantur, pro tam pio studio Illustrissimorum Principum, qui hanc Academiam non tam numero studiosorum, quàm sanctis Legibus, honesta disciplina, ingenuis moribus florere ac decorari exoptant *Regium est* (inquirebat ille) *cum benefeceris, audire male.* Sed *sacrilegum est, sanctis obloqui & reluctari consiliis: de rebus incognitis, contra Magistratum temere pronunciare, libertatem in servitute teterrima, qua libidinibus servitur, collocare.* Non sunt certè, Auditores,

res, non sunt Illustrissimi nostri Principes, Machiavellicis imbuti præceptis, qui inter alia in suis de Regno commentariis vult satis esse, *Principem videri pium, etiamsi revera talis non sit.* Norunt enim nostri Principes sibi coram Deo, & in oculis ejus qui intimos cordium recessus intuetur, esse ambulandum: coram eodem actionum omnium nostrarum reddendam esse rationem: Sciunt *hanc compendiarium esse viam ad veram gloriam, ut sit quisque talis, qualis haberi vult:* Sciunt falsitatem cordis cum religione sincera sociari non posse: & hoc maximè quotidie meditantur, cogitant, & optant, ut non tam ipsi regnent, quàm ut regnet CHRISTVS in Palatinatu, in Ecclesiâ, Scholâ, & denique in toto orbe: cum sit ille Rex Regum, & Dominus Dominantium, quem & nos in Eucharisticæ hujus orationis conclusione, toto pectore precabimur, ut talibus Principibus multi felices anni illucescant: ut floreat illi sub Dei præsidio: & sub eorum gubernatione

natione floreat indies Palatinatus, flore-
at Respub. Ecclesia, Schola, & nobis re-
ducat Omnipotens secula tranquilliora,
propter Nomen suum magnum:
propter electos ipsius, & ge-
mitus nostros,
Amen.



ORATIO OCTAVA. 171

ORATIO PARTIM HISTORICA, COMPLECTENS PAUCIS MEMORABILIA QVAEDAM EXACTI ILLIVS NOVENNII: PARTIM EVCHARISTICA, PRO BENEFICIIS ACCEPTIS: ET SIMVL PRECATORIA PRO FELICI SVCESSV NOVÆ DECADIS ANNORVM, PRÆSENTIBVS ILLUSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, ET DOMINIS, DN. FRIDERICO ELECTORATVS HEREDI, ET D. CAROLO PALATINO DVCE BAVARIAE COMITE IN SPANHEIM, HABITA PENVLTIMA DECEMBRIS, ANNO MDCCXIC. IN COETU ACADEMICO.



I olim ab Ethnicis in Apollinis & Dianæ, ceterorumque Divorum, qui *naturâ dii non sunt*, honorem, seculares ludi instituebantur, & secularia carmina scribebantur, quibus eorum laudes decantabant, & pro Rep. & privata solennia vota concipiebant: cur nos Christiani, qui *in seculorum fines, & in illud tempus, quod cō-* 1. Cor. 10.
tractum est, ut loquitur Apostolus, *incidi-* 1. Cor. 7.
mus; Deo illi vero, & soli omnipotenti,
Optimo

Optimo Maximo, conditori & Redemptori nostro decennia, imò annua vota nõ persolvamus, & historiam nostrorũ temporum, sine cuius cognitione vita vitalis esse non potest, animis recolentes, admirabilia Dei opera, quorum, Deus bone! tot, hoc nunc exacto decennio concurrunt, intueamur, veneremur, & ad novam & ineuntis decennii felicem ingressum nos comparemus? Fallor enim ego, Auditores, *aut nos alterius vite quoddam initium ordimur: ut de suis temporibus Cicero ad Atticum olim scribebat. Si in habitaculo tuo, inquit beatus martyr Cyprianus, Parietes vetustate nutarent: tecta desuper tremarent, domus iam lassã, adificiis labentibus ruinam proximam minaretur, nonne omni celeritate, ad migrationem festinares, & de rebus tuis cogitares? Mundus ecce nutat & labitur, & ruinam sui, non tam senectute rerum, quàm sine testatur: & nos Deo non gratias agamus, quòd nos ad meliorem vitam genuit, & cum hospites & peregrini simus in terris, non properemus in patriam regredi, ut ibi sint desideria nostra,*

Libro de
mortalit.

stra, ubi est caput nostrum, Servator no-
ster & liberator DOMINVS IESVS. Ne-
que tamen, Auditores, nobis libet de-
plorare vitam: quod à multis & doctis fa-
ctum saepe Cicero in Catoue majore te-
statur: nec nos vixisse pœnitere debet:
cùm quotidie tam memorabilia Dei
omnipotentis iudicia in hoc vitæ huma-
næ theatro spectanda nobis proponan-
tur: quæ fidem nobis illius dicti Davi-
dici faciunt Psalm. 75. Dicite insanis, ut in-
sanire desinant: & improbis, ne cornua at-
tollant. Deus enim iudex est & arbiter Mun-
di, qui hunc pro arbitrio deprimat, illum
extollit, ita ut obsoleta gloria superbo-
rum, & deletis impiis, semper efflore-
scant pii, & mirabiliter in terris conser-
vetur Ecclesia, & tandem veritas, tandem
bona causa triumphet.

Psalm. 75.

Ceterum, ut vos in rem quasi præsen-
 tem, & manifestam illius providentiæ Divi-
 næ cōtemplationem, quam satis nec mi-
 rari, nec prædicare unquam quisquã po-
 test, deducam, Auditores: ponam vobis
 ob oculos summa tantum quedam rerum
 aliquot memorabilium capita, & vobiscum

exactam hanc Decadem annorum, cuius historiam copiosissimam certè & uberissimam multis voluminibus vix completi historiographi poterunt, animo percurram.

Concordia Bergensis.

Fervebat mirum in modum, statim sub anni LXXX. exordium *Opus illud Concordia Ubiquitaria*, de quo vere ille dixit, qui eius architectum & fabrum scripsit, ^{et} potius, quàm ^{et} *τὸν εἰρημῶν αὐτορὸν* fuisse ^{et} *fabricatorem*. Nec potuit non flaccescere, quod partim à *Flaccianis*, partim à ferocibus illis *Ubiquitariis*, qui minis & metu pessimo diuturnitatis custode, omnes in suam cogere sententiam volebant, procurabatur.

Bis ergo maledicta fuit illa *Concordia*, Primùm, quòd *sinceritate doctrinae*: deinde, quòd *caritate & moderatione*, destituta, partim *hominum placitis*, partim *brachio seculari* nitebatur. Cujus sanè *Concordia Ubiquitaria* talia, ut ita dicam, fata fore, viri aliquot prudentes prævidebant: qualia NEFASTI illius INTERIM, anni 49. quod initio magnis etiam heroibus admodum formidabile: ridiculum & contemptum brevi, emergente veritatis luce, evasit: Sic-

ut

ut hoc tempore, Dei beneficio, Nobiliss.
Electores p̄vinciae PALATINATVS ET
SAXONIÆ jugum illud Vbiquitarium, ut
& alia aliquot, excusserunt.

In illa ipsa tempora anni 80. incidebāt
solennes illæ & sumtuosæ Belgarum ad
Franciscum Ducem Alenconium legatio- Dux Alen-
nes: & ejus ad Belgium moderandū vo- conius.
catio. De quo Principe nunquam cogi-
to, quin in mentem veniat illud Ieremiæ
47. de Pharaone quodam rege Aegypti, q̄
ibi rex *strepitus* vocatur: quoniam multa
movebat & miscebat, nihil autem perfici-
ebat: quin etiam recorder Prognostici,
Magistri Antonii Torquati Ferraniensis
de destructione Europæ; quod Matthiæ
Vngariæ Regi, anno 1480. inscripsit: ubi
post bella diuturna Gallorum cum Eccle-
siasticis, quos Ecclesiasticos Hispani sint
adjuturi, prædicit, regem novum exoritu-
rum, cujus spe & fiducia inani plurimi sint
perituri. Id Gallia in Alenconio experta
videtur, anno LXXIV. & LXXV. Id Belgi-
um anno LXXXII. & LXXXIII. quo tem-
pore multis creavit exitium, creatur⁹ ma-
jus, si infausti ejus conatus Antuerpiæ &

alibi, anno 83. ineunte, ei successissent.

Verum enimvero de illo Principe, qui tot regna sibi despōdebat, utpote Galliarum, Angliarum, totiusq; Belgii, usurpari rectè potest illud Isai. de rege Babyl. *Deducitur in sepulchrū fastus tuus, strepitus nabliorū tuorum, obtegit te vermis: Videntes te, considerabūt te: in te advertent, dicentes: Hiccine vir ille est, qui cōmovebat terram, q̄ concutiebāt regna?* Ita inanes fuerunt illius Principis spes: & inanis eorum fiducia, qui sub eius umbra quietem & libertatē sibi promittebant.

Calendari-
um Gre-
gorianū.

Anno LXXXII. ne ulla Antichristi nota Pontifici Romano deesset, temporum & Calendarii ratio à Gregorio XIII. mutata est, non tam emendandæ supputationis gratia, quàm stabiliendæ partim suæ tyrannidis, partim superstitionis observationis festorum causa. Et fuit ille annus transrenanis oppidis Vangionum, & Nemerum, aliisq; multis lugubris & libitinaris ppter terram pestis lucem, quæ toto illo anno in numeros in tractus illius pagis & oppidis in sepulchrum demisit.

An. LXXXIII. exarsit bellū Colonienſe
pro

pro Archiep. Gebhardo Truchf. vel poti⁹, Bellum
 pro libertate Collegiorū Ecclesiast. susce- Coloniēse
 ptum, magno, initio, cum applausu, dum
 ejus res florerēt, & feliciore fortè successu,
 nisi suas rationes ad eos scopulos appulis-
 set, in quib⁹ multi naufragiū fortunarum
 fecerunt, qui sc. omnium ordinū Imperii
 concors & cōmune subsidiū expectarunt.
 Verissimā est enim illa Thucydidis regula

de dissimilibus foederibus: ἐν τῷ διαμάδῳ - Circa ini-
 σοῦτι γυνάμης, διαφοραὶ ἕγνων καὶ διαστῆται: *dis-* tium lib. 3
sidentibus opinionibus, fiunt diversa opera?

Quemadmodum autem Cicero in Le-
 lio cōmemorat, Tarquinium dixisse, *cum*
exule esset, se intellexisse, quos fidos amicos ha-
buisse, quosq; infidos: cum referre gratiam
nō posset. Sic Archiepiscopus Truchsius in
 suo exilio & calamitate sua fidissimum ex-
 pertus est Illustris. & Magnanimum no-
 strum Principem D. Ioannem Casim. de
 quo vetè illud dici potest: *neminem totis*
his XX. annis, patria, aut Ecclesie hostem fuis-
se, qui ei quoque bellum non indixerit. Et
 memini ego, cum ad illud bellum accin-
 geretur, & jam tūc à plerisq; sociis deserē-
 retur Truchsius; ejus Celsit. palàm dicere,

In Para-
doxis.

se tanto quidem, & tam gravi bello impari esse, & ad illud proficisci, non tam perficendi spe, quàm suam fidem patriæ probandi, & exemplum posteris pii Zeli & conatus, relinquendi gratiâ. Nam & in magnis voluisse, multum est. Et, ut rectissimè monet Cicero: peccata non rerum eventu, sed vitiis hominum metienda sunt. Ut autem præclara voluntas ejus Celsitudini non defuit: sic nec defuit divina manus, quæ eum ex illius belli flamma, & seditiosorum militum tumultibus ereptum, in patriam ad Electoratus gubernacula, ad veritatem & pacem Ecclesiis & Scholis Palatinatus restituentem reduxit: ut tanquam Nehemias alter, templum rursus Populo Dei aperiret; quod anno octogesimo tertio, prima Dominica adventus, heroico & invicto zelo, adhibita tamen omni Christiana ^{et mansuetudine,} & patientia summa erga præfractos adversarios, Heidelbergæ factum est. Obierat enim paulò antè, Celsit, ejus frater, Elector Ludovicus, Princeps naturâ pius, liberalis clemens; & magnus omninò, si ad suum potius, quàm ad aliorum irrequietorum hominum, qui ejus Celsitudinem variis præju-

præjudiciis imbuebant, arbitrium, actiones suas instituisset. Quis verò hîc minas, quis pericula, quis conspirationes contra Illustrissimum Principem Administratorem, ob institutam reformationem intētatas, enumeret? Quis ejus Celsitudinis mansuetam constantiam, & constantem sinceritatem satis prædicet, qua omnes adversariorum conatus tulit, fregit, superavit? Faceffant igitur sinistra malè feriatorum hominum de ejus Celsitudine judicia: faceffant præjudicia: *sat est placere bonis: qui turpi secernunt honestum.* Et hoc est semper opus Diaboli, inquit Cyprianus, *ut servos Dei mēdacio laceret, ut, qui conscientie laude clarescunt, alienis rumoribus sordidentur.* Denique, ut loquitur August. *foris nos oppugnat Diabolus, quando ejicitur forās: excitans nobis adversarios, turbans nos & crucians, vel in œconomia, vel in Rep. vel in propriis corporibus; sicut pio illi lobo accidit, & in omnibus ferè Patriarcharum familiis exempla cernuntur.*

Sed venio ad alia, ne modum excedat oratio: Quod Antichristus, Auditores, impatientissimè ferens, suam sibi per Ev-

Lib. Epist.
4. cap. 2.

angelii prædicationem detractam larvam esse, & se mundo patefactū, multis jam annis meditatus erat, ut conjuratione confclerata Evangelicos opprimeret: id ille, nactus suorum consiliorum idoneos administrōs IESUITAS, qui in aulis Regum & Principū Pontificiorum dominantur, sub annum LXXXV. exequi in Gallia, *primū, deinde* in Anglia, & aliis provinciis magno conatu molitus est. Conjurationi nefariæ Pontifex pro suo more, honestum nomen Liguæ sanctæ prætexere voluit. Et successit ei initio in Gal. ubi Guysianā familiam ad talia consilia exequenda paratissimā invenit, non tam, ut Pontifici obsequeretur, quàm ut hac ratione, sicut experientia jam docet, aditū sibi ad Regnū invadendū pararet; juxta illud, quod Polinices ille apud Senecā ait: *Pro regno velim patrem, parentes, conjugem flāmis dare:* Multi ergo pii per Galliā subito cum uxoribus & liberis sub ipsam hyemem, vel in triste exilium abire, vel Religionem abjurare orthodoxam coacti sunt.

Nec enim Rex Henric⁹ Valef. superstitioni.

tionibus totus delibutus, & in odio Vati-
niano contra Evangelicos educat⁹, eorum
crudelib⁹ ausis diu obstitit, nec eorū moli-
tiones, qui ipsi⁹ vel interitū maximè expe-
tebant, prius detexit, quàm illi res suas in
plerisq; provinciis ita constabilivissent, ut
Regi ad eorū ferè nutum vivendū esset. O
regem miserū! Ut enim habet mimus ille
Publianus: *Minus est, quàm servus, Domi-
nus, qui servos timet.* Quid quòd Serenif-
simi Regis Daniæ, laudatæ memoriæ, &
Illustrissimorum, potentissimorūq; Ger-
maniæ Principū legationes an. 86. ad Re-
gem missæ, cum à persecutionibus piorū
abducere non potuerunt? Nihil ad eosdē
liberandos potuit an. 87. numerosus no-
ster ille, & ex variis gentib⁹ cōflatus exer-
cit⁹. Atq; illud nos omninò statuere oportet,
*Dei proprium opus esse, ut fundationē, sic
conservationem Ecclesiæ, ideòq; Dom. Iesum
sedentem ad dextram Patris, hanc sibi laudē
reservasse, ut ponat inimicos suos scabellum
pedum suorum: & eos patiatur ad tempus in-
altum ferri, ut lapsu graviore ruant.* Nonnē
id quæso, sequentium annorum evenus
comprobavit, quando toto ferè anno 88.

Deus partim in mari, partim in terra brachium suum contra hostes exeruit? *Et jam infestis ventis classem Hispanicam, Europæ terrorem profligavit, jam inimicos suos per inimicos ultus est, Duce Guyfio & fratre Cardinale, in medio regis Palatio, in quo triumphabant, inter media agmina fuorū clientum, in teatro totius Gallix, nempe in ipso cōcilio ordinū, mandato Regis, cæsis, cadaveribus etiam in tenues favillas redactis, ne ulla in terris amplius eorum vestigia reperirentur. O nos igitur cecos, si Dei providentiam, si judicia admirabilia non agnoscamus! O ingratos, si illi Deo providentissimo, optimo, non fidamus! O infelices istos seditiosos, qui non cogitant, sibi non cum hominibus, sed cum DEO EXERCITVVM rem esse, & frustra se tumultuari, & θεομαχεῖν, ut monet Psaltes Psal. 2. *Si exitus C. Caesaris, inquit Cicero ad Antonium, efficere hoc non potest, ut malus carus esse, quàm metui: nihil cuiusquam proficiet, nec valebit oratio.* Idem hodie dereliquis seditiosorū in Gallia dici potest, qui planè se degeneres ostendūt: dum ne regibus quidem suis, quorū Majestas*

i. Philip.

gestas apud Gallos sacrosancta semper fuit,
 parcunt. Nam, ut scribit Cominæus, *Gal-*
lorum erga regem suum is animus olim fuit,
& tam egregia voluntas, ut omnia pro eo p-
fundere fuerint parati, etiam sanguinem:
 & inauditum est, Auditores, ante annum
 89. manus cruentas regi ulli Galliæ allatas à
 subditis præsertim, nisi fortè excipias uni-
 cum illud, quo quidam Veromanduorū
 Comes aliquando necasse quendam Gal-
 liæ regem scribitur ab eodem Cominæo
 circa lib. 3. initium. Sed notum interim
 est distichon illud:

Non audeat stygius Pluto tentare, quod audeat
Effrenis monachus, plenaq; fraudis anus.

Et ita suos cultores remunerari solet demon:
 & fit iusto sæpe Dei iudicio, ut ad generum
Cereris sine cede & vulnere pauci, descendat
reges, & sicca morte tyranni. Quòd si tamē
 vera sunt, quæ de morte Henrici Valefii
 nunciantur, eum videlicet Christo Serva-
 tori animam cōmendasse, palamq; dixisse,
 ultimum vitæ suæ spatium in terris, initiū
 fore suæ beatitudinis: de eo dici posset,
 quod Cicero pro Quinctio scribit: *honest-*

Cædes
 Henrici
 ultimi Re-
 gis Valefii.

stam mortem saepe vitam turpem exornare.

Et fuit certè laudabile, quòd ante mortem affini suo innocentissimo, Regi Navarrae, heroi armis inclyto recõciliari voluit. Illius reconciliationis quoties recordor, toties memini ejus, quod Valerius Maximus Exemplorum lib. 4. de his qui ex inimicis juncti sunt amicitia, veluti de M. Livio Salinatore scribit; cuius exemplum Rex Navarrae, anno superiori imitatus est. Cum enim Salinator ob odium Neronis in exilium profectus esset, ab eo valde afflictus: tamen, postquam inde eum cives revocatum collegam Neroni in Consulatu dedissent: et ingenii sui, quod erat acerrimum, & injuriarum, quam gravissimam acceperat, oblivisci, sibi imperavit, ne, si dissidente animo consortium Imperii usurpare voluisset, pertinacem se exhibendo inimicum malum consulem ageret. *Quae quidem mentis ad tranquilliorè habitum inclinatio, (inquit Valerius) in aspero & difficili temporum articulo plurimum salutis Urbis & Italiae attulit: quae pari virtutis impetu connisi Punicas vires attulerunt.* Neque hoc, Auditores, seditiosos illos & parridas in Gallia excusat, quod
Cic.

Cic. off. l. 3. scribit : *Non obstringere se scelerē, qui tyrannū occidat : imò populo Romano ex omnib⁹ præclaris factis illud pulcherrimū videri.* Nam & fines, & vocatio distinguunt hujusmodi actiones. Alia igitur fuit regis Guysium interficientis persona: quāquam Regis factum defendere certè nolim: & via legitima magis supplicium deperduelle sumi potuit. Causæ etiā graviores: quòd Regi, Regno, innocentib⁹ multis exitium moliretur: quòd bellorum civilium luctuosissimorū (in quibus, ut loquitur Lucanus: *Nobilitas cum plebe perit, lateq; vagatur Ensis, & à nullo revocatum est pectore ferrū*) flabellum & fomitē cum esse videret. Verū errant seditiosi, quòd regnum contra omne fas & jus invadere, & legitimos successores deturbare conantur: Errant, quòd non meminerunt, *Dei esse regna, & reges constituere & removere*: cujus rei in Polonia illustre & recēs exemplum habemus: ubi non ita pridem Sigismundi Sueciæ Princeps, Rex renunciatus est, excluso eo, qui majores clientelas, speciem majorem, & plus ætatis habebat. Potest igitur Serenissimus & Chri-

ftianiffimus Gallia & Navarra rex, modo Davidis in fide & religione constantiam retineat, fuos hoftes ita affari, ficuti fuos David, Pſal. 4. compellabat: *Filii virorum, quousque gloria mea ignominia futura est: quousq; diligetis vanitatem, & quæretis mædaciū? Cognoscite potiùs, ſeparaffe Iehovã ſibi eum, quem benignitate proſequitur: Iehova exauditur⁹ eſt, cum inclamavero eum.*

Funera
heroum.

Ceterum, ne vos diutius in hoc frigore detineam, ſubjiciam nunc ſaltem hujus decennii, quod heroibus in primis infeſtum fuiſſe, video, & multos ex his terris ſubduxiffe, funera aliquot; quæ res nõ admodum boni augurii, ſed complementũ potiùs aliquod ejus vaticinii eſſe videtur, quo prædictum fuit à Chriſto, fore, ut ſub Mũdi finem triftes ſtellarum eccliſes conſpiciantur. Reges enim quatuor hoc decennio diem ſuum obierunt.

Anno LXXX. die 7. Januarii ultimus Portugalia rex Henricus Cardinalis, Sebaſtiani in Africa biennio antè cæſi, patruus.

Anno LXXXVI. STEPHANVS BATHORIVS rex Polonia, toto orbe clariffimus, fortiſſimus ſimul & doctiſſimus.

Anno

Anno LXXXVIII. rex Daniæ FRIDERI-
CVS, PRINCEPS CORDATISSIMVS.

Henricus Valesius illius familie ultimus,
Galliarum rex, anno hoc ipso 89. diem su-
um obiit.

Reginam Scotiæ Mariam, quæ anno
87. octava Februarii, securi percussa fuit:
& Catharinam Mediceam reginam Gal-
liæ viduam, foeminas non ita felicitis me-
moriam, illis Heroibus non annumero.

Principes extincti sunt multi certè &
potentissimi, veluti anno 83. LVDOVICVS
ELECTOR PALATINVS, PRINCEPS IL-
LVSTRIS: Ioannes Basilides magnus
Moscoviæ dux: Franciscus dux Alenco-
nius: VVILHELMVS VRANIÆ PRIN-
CEPS, ictu sclopeti 30. Iunii anno 84. ne-
fariè ac proditoriè interfectus. Ericus dux
Brunsvicensis Papiæ in Italia:

Anno LXXXVI. SAXONIÆ ELECTOR
AVGVSTVS, cujus eodem ferè mense nu-
ptiæ secundæ & exequiæ celebratæ fuerūt.
ILLVSTRISSIMVS, ET PIVS PRINCEPS
CONDEVS, HENRICVS BORBONIVS. RO-
BERTVS DE MARCKA: DVX BILIONEVS:
GOTHARDVS CVRLANDIÆ PRINCEPS
MODE-

MODERATISSIMVS. IOACHIMVS ASCA-
NIÆ PRINCEPS INCLYTVS ET PACIS
PVBLCÆ CVPIDISSIMVS: & hoc ipso an-
no, potens Princeps IVLIVS BRVNSVI-
CENSIS.

Comites etiam & alii heroës non pau-
ci nobis ablati sunt: & extinctæ quidem
planè duæ vetustiss. comitum Imperii fa-
miliæ, ab Henneberg, & ab Hoja: Mortui
item: Robertus Dudleus Licestriæ Comes,
PHILIPPVS SIDNEVS magnum Anglicæ
nobilitatis dec^o: Comes à Marcka, Ducis
Bilionei frater, ut innumeros alios præter-
eam, qui non ita per Europam clari fue-
runt: aut quorum nomina non occur-
runt. Atq; utinam meminissent Princi-
pes terræ, se legibus mortis non esse solu-
tos, & ut gravissimis verbis monet David
Psalmo 82, Licet *dii* ratione officii, & filii
excelsi vocentur, ipsis tamen non minis
quàm plebiis hominibus esse morien-
dum: *Tendimus huc omnes, metam prope-
ramus ad unam: Omnia sub leges mors vo-
cat atra suas.* Verùm enim verò, Audito-
res, in hac brevi synopsi & narratione hi-
storica, minimè prætereunda nobis est

VRBS GENEVA, hospitium commune omnium exulum Christi, & officina pietatis: que cum hoc anno propter navatam operam regi Gallie, jure confederationis, & in causa justa, a vicino & infesto, & Hispanica affinitate superbiente Duce tota hac æstate acriter oppugnata, & tandem omni fere humano auxilio destituta esset, ita, ut certissimum de ea triumphum sibi jam hostis desponderet, interclusis omnibus aditibus, & extructis variis aggeribus: mirabili Dei providentia, defensa & conservata fuit: & parva sæpe manu, imò, quod prodigiosum est, a pauculis peditibus, phylacteriis armis planè destitutis, cataphractorum equitum splendidibus inclitorum turma non paucæ prostratae fuerunt, arces expugnatae, tormenta, signa & alia hostium impedimenta in urbem importata cum aliquot belli ducibus captivis: et, si qui Genevensium mucrones evadebant: Dei tamen manum, & morbos lethales, qui in exercitu hostili grassabantur, non effugiebant: quod videns hostis aliàs ferox & indomitus, cum parva hominum languidorum manu sedomum recipere coactus est:

v. 12. 13.

v. 16. 17.

18. 19.

Vt intelligamus verissimè cecinisse Davi-
dē Psal. 33. *Beata illa gens, cuius Iehova Deus
est, quam è cælis intuetur Iehova: Non ser-
vatur ex multitudine copiarum, nec equorū
fortitudine: Ecce oculus Iehova attendit ad
timentes sui, ad expectantes benignitatem
ipsius, ut eripiat à morte animum eorum.*

Quid igitur superest, Auditores, quàm;
ut primum Deo Opt. Max. gratias agamus,
quòd in ter tot Regum, Principum, Rerū-
publicarum cadavera, inter tot motus &
pcellas, toto hoc decennio nos clemēter
servavit, & Palatinatum in primis hostilibus
incurfionibus, & luctuosa depopulatio-
ne, quam tot hostes minitabantur, im-
munem esse voluit, quòd sub Illustrissimi
& Magnanimi Principis D. Ioannis Casi-
miri, Comitis Palatinati ad Renum, lau-
dabili tutela & administratione, Halcyo-
nia & hospitium Ecclesiæ præbuit, quòd
sub felici & bienni Rectoratu Illustrissimi
Principis Friderici, Academia pacem &
decus reddidit, quòd deniq; magnum il-
lum heroa Regem Navarrae, post longas
persecutiones exantlatas ad Regni Nobi-
lissimi fastigium exexit. *Deinde, ut eundē
Deum*

Deum Opt. Max. toto pectore, ardentibusq; votis precemur, ut annum nonagesimum, quem ingredimur, & sequentes, Ecclesiæ, Scholæ, ac Reip. ac nominatim nostris Serenissimis Principibus serenos & prosperos esse velit, & quandoquidem devenimus ad fines temporum: in illam patriam contendam⁹ & nitamur, ubi sine fine temporum, æterna felicitate fruemur. O beatam diem! cùm ad illum beatorum confessum, coetumq; Electorum Dei, ad Regnum, quod cõcuti non potest, in quo omnia lucida, omnia pura, in quo sempiterna quies: ad suavissimum & benignissimum illum Servatorem, Regemq; sempiternũ DOMINVM IESVM, depugnata præclara militia, relicta colluvione impuri hujus & perversi mundi pervenimus.

Dixi.

N

ORATIO NONA.
 IN HONOREM
 GENEROSI D. IOAN-
 NIS SKVMINI, FILII, MA-
 GNI THESAURARII LITVANIÆ,
 BASILEAM HINC DISCEDEN-
 TIS DE HAC QVÆ-
 STIONE:

AN PROSIT PEREGRINARI, MAXIMÈ AD
 EOS POPVLOS, QUOS PONTIFI-
 CII PRO HAERETICIS
 HABENT.

HABITA XIX. OCTOBRIS
 ANNO clō 19 XC.



ON immeritò, Auditores, se-
 pe se mirari solitū scribit ini-
 tio sui Panegyrici Isocrates:
 quid in mentem iis venerit,
 qui varios olim ludos gymnicos institue-
 rūt, ut corporū viribus tanta præmia pro-
 nerent: eos verò, qui Reip. studio immē-
 sos cepere labores, & animis varioq; rerū
 usu ita se parârunt, ut multis aliis prodes-
 se possint, nullo honore dignarētur: cūm
 tamen vel unus viri rerum periti pruden-
 tiâ, tota civitas, regio tota frui possit, si
 modò

modò cōsiliis ejus salutaribus parere non renuerit. Neq; id tamen, vel languorem, vel desperationem viris sapientibus & sapientiæ studiosis afferre debet, si post emēsa longa itinera ad comparandum rerum usum, post exantlatos in Musarum castris varios labores, non ita bonam sibi semper gratiam haberi, nec eximia sua dona in tam illustri locari theatro vident. *Est enim virtus ipsa sibi præmium, sibi theatrum: & est viro probo hoc omni tempore propositum, ut prodesse cupiat quàm plurimis: & ad veritatem ac prudentiam consequendam omnes ejus curæ, vigiliæ, & cogitationes tendant.*

Ceterùm non equidem levem, aut otiosam quæstionem explicandam me suscepisse video:

An scilicet peregrinationes ad exteras gentes, nominatim ad eos, qui à multis pro hereticis habentur, momentali quid ad sapientiam & veritatem adipiscendam adferre possint, ut hoc velut viatico instructi, vite hujus curriculum cum majore dignitate, & multorum utilitate, heroës imprimis, & quicunq; heroicis animis præditi sunt, conficere possint.

Ac varia quidem nobis in tanta sententiarum varietate iudicia: varia hominum nobis iniquorum præiudicia obstare video. Sed erigit nos huius lectissimi cœtus æquitas & æquanimitas: sustentat bona causa, quam, ut speramus, bonis rationibus sic tuebimur, sic aspirante Domino agemus, ut, si causa cum causa, ratio cum ratione contendat, nos nostram sententiam omnibus bonis facile ꝑbatauros confidamus.

Dicam igitur *primùm de thesi ipsa, nempe de peregrinationibus: an recto consilio, justisq; de causis à studiosis sapientiæ & virtutis suscipiantur: Deinde ad hypothesin accedam, & iis occurram, qui peregrinationes ad nostras regiones propter hærescos suspicionem & crimē, quod nobis à multis intentatur, dissuadere solent.*

Video autem statim in vestibulo nostræ orationis explicandum nobis esse, *quasnam peregrinationes, utiles esse censeamus, ne vel inhumani videamur, si patriam fugiendam, & dulcia arva temerè linquenda suadeam⁹: cùm Vlysses ille πολύτροπος ipsemet Penelopi dicat, dolorem sibi fuisse &*

se & pœnam, quòd longo tempore à *dul-* Sub finē
ci patria, à dilectis patriis larib⁹ abfuerat: vel odyis. †
 erronum, καὶ τῶν ἀσπατέρων patroni, qui
 vitam erraticam & vagam, quàm certam
 honestamq; vocationem colere malunt:
 ut nihil de iis dicam, qui his maximè af-
 fines, Religionis prætextu, in *superstitiosis*
 & *ociosis peregrinationibus multum tempo-*
ris & opera consumunt: quos venustè no-
 tavit *Erasmus in Colloquio, de peregrinatio-*
ne Religionis ergo. De vagis, ac non necessa-
riis peregrinationibus enim verò nobis ser-
mo non est, de quibus procul dubio illud

CICERONIS intelligendum: *Omnis pere-* Lib. Epi-
grinatio, quod ego ab adolescentia judicavi, stolarum
obscura & sordida est iis, quorum industria secundo,
Roma potest esse illustris. Nam Cicero aliàs Epistola
 & ipse peregrinatus est, & filium Athenas 11. ad Cæ-
 misit; qua in urbe, tum præceptis, tum lium Æ-
 exemplis auctior & confirmator evade- dil. Curu-
 ret. Cum autem *tota hominis vita perpe-* lem.
tua quadam peregrinatio sit super terram, v. 13.
 juxta illud Psal. 39. *Peregrinus sum corã te,*
Domine, sicut omnes majores mei: nos hïc
de iis peregrinationibus agimus, quæ ex pio-
rum & sapientum consilio, ad exteras re-

gionès selectaq; loca, uberioris cult⁹ inge-
 nii capeffendi, usus rerum parandi, cogno-
 scendiq; mores & instituta variorū popu-
 lorum gratiâ, ad certum tempus suscipiū-
 tur, ut præparatiores & instructiores ad
 honestas vocationes, vel Ecclesiasticas, vel
 politicas accedamus. Tales, tales, inquam
 peregrinationes laudandas & tuendas sus-
 cepimus. Tales, & hominis naturæ &
 Reip. utilitati consentaneas & accōmoda-
 tas pronunciam⁹. *Si enim, Aristotele teste*
sic Metaphysica exordiente: πάντες ἄνθρωποι
ποιοῦν τὸ εἶδος ἐν ᾧ ὁρᾷ γιντὰι φύσει, Omnes homines
naturâ trahuntur & ducuntur ad cognitionis
& scientiæ cupiditatem, Cicerone interprete:
quid ille eximia scientiæ adipisceretur, qui
præter se & lares patrios vidit nihil, miratur
nihil? Excitanda mens est, & attollenda
semper, inquit Quintilianus, quæ inter do-
mesticos parietes, aut languescit, & quen-
dam velut in opaco situm ducit, aut inani tu-
mescit persuasione.

Lib. 1. c. 2.

Præterea, cum non omnia per nos age-
 re possimus, & sit ad societatem factum
 humanum genus: amicitia meritò & no-
 titia cum aliis populis comparandæ sunt,
 ut com-

ut commune cōmodum mutuis officiis gubernetur. Neque uni populo, uni civitati, aut genti à Deo O. M. tributa sunt omnia: & est in singulis ferè peculiare aliquod Dei donū, quod miremur. *Fructuosissimæ* verò *illæ sunt, et saluberrimæ peregrinationes*, quādo ex singulis optima decerpim⁹, & nobis imitāda proponim⁹: imò & ex vitiiis gentium hoc capim⁹ commodi, quod Lacedæmoniorū liberi ex Helotarū mancipiorum turpi ebrietate capiebant, ut scilicet, & humanā fragilitatē agnoscamus, & ex collatione vitiorū cum virtutibus, virtutē eò magis in deliciis habeam⁹, vitia aversemur, & recordatione pœnarum, quibus impii quotidie afficiuntur, ad pietatis & reverentiæ Dei studium nos ipsos acuamus.

Deniq; ut ferrum acuit ferrum, sic homo hominem: & faciunt sæpe peregrinationes ad externos: ut, quos antè sine iudicio contēnebamus & averfabamur, vivos & auditos magni faciam⁹: ii verò, quos suspiciebamus, aut reformidabamus, apud nos vilescant. Sic VALENTINIANVS IMPERATOR, Iunioris, inquam, Valentimiani Pater, olim conspectis Sau-

Proverb.
27. v. 17.

Lib. 6.
cap. 36.

romatis, ut scribit Sozomenus, & auditis
eorum primariis legatis, cum summa in-
dignatione, quæ cum paulò post extinxit,
miratus est, tam invenustos & ineptos ho-
mines populo Romano esse formidabi-
les. Sic multi visa Roma, & Purpuratorû
moribus inspectis, de ea reverentia, quam
illi loco deferebant, multùm diminue-
runt. Et nostra memoria, Petrus Paulus
VERGERIVS, Iustinopolitanus Episcop⁹,
perlustrata Germania, & auditis virorum
doctorum sermonibus, æquior Evangeli-
cis factus est, & tandem illis se planè ad-
junxit. Quare non temerè cum ab aliis,
tum ab ipso Lactantio prædicantur Py-
thagoras & Plato, *quòd amore indaganda
veritatis incensi, ad Ægyptios Magos &
Persas usque penetrarint*: licet, ut Lactan-
tius ibidem existimat, *divina quadam pro-
videntia aversi, ad Iudæos non accesserint,
ne ante tempus lux veritatis cum alienige-
nis hominibus communicaretur*. Com-
mendatur & hoc nomine ab Homero
Vlysses, *quòd multorum hominum urbes vi-
disset, & mores cognovisset*. Et, Deus bo-
ne! quantum refert, ut, qui Principibus in
confi-

Institut,
lib. 4. de
vera sapien-
tia cap. 2.

cōsiliis assident, earū gentiū mores cognitos habeant, ad quas vel mittēdæ, vel à quibus expectandæ legationes sunt? Docet, docet pfectò experientia, longè æquiora, longè mansuetiora, longè circumspectiora esse eorum ingenia, qui apud exteros peregrinati sunt, iis, qui *præter casam & focum patrium, nihil viderunt*. Quantum quæso refert, Theologum eorum ingenia, genus dicendi, mores cognitos habere, qui de rebus Theologicis scribunt? Quàm multa candidiùs, benigniùs interpretari possumus, si homines ipsos vidimus, novimus, convenimus? Quantum id quoq; conducit ad *κοινωνίαν*, quæ inter sanctos foveri debet, si cum exteris Ecclesiis nobis aliquid fuit commercii? Prætereo Medicos, qui vix certū, & salutare ægrotis dare consilium possunt, nisi constitutionem cœli, sub quo vixerunt, diætam, & alia hujusmodi aliquo saltem modo cognita habeant.

Ceterum video, quàm varia rursus proferri possint, quæ peregrinationes dissuadeant. Pericula alii commemorant, quibus peregrinātes obnoxii sunt. Quasi ve-

rò ullus sit locus periculis vacuus, aut patria nos tristi eximere letho possit. Quid, quaeso, ignavia, quid domesticis saepe exemplis periculosius? Quid securitate, quã inducere solet vita illa umbratilis, ad patrios focos, perniciosi? Rectè enim verò Basilii? κρείττον ἢ τὸ ἀσφαλές κίνδυνος, καὶ συμφορὰ ἐπιμερίας ἀρετῶτερον: *Melius est, in periculis esse, quàm securè agere: et calamitate premi, quàm uti reb⁹ secundis.* Atqui, inquiet aliquis, sapiens ille legislator Lycurgus, teste Plutar. volebat suos cives liberiùs peregrinari, ne apud exteros contagii aliqd contraherent. Neq; nos peregrinationes temere & curiosè susceptas, imò nec eorū adolescentū, qui iudicio præditi non sunt, aut certos Ephoros sibi adjūctos non habent, nec peregrinationes ad quosvis populos pbamus: sed ad eos, ex quib⁹ aliqd fruct⁹ & emolumenti reportari possit. Ideo, recitante Seneca, *cuidē querenti, cur peregrinationes sibi nihil profuissent, respondit aliquādo Socrates: Non immeritò tibi istud evenit. Tecū enim peregrinabar. Multi, inquit ibi Seneca, in locis exteris peregrinantes, secum aberrant. Nec locorum mutationes aliquid momenti habent, nisi*

Epist. ad
Cæsariū.

Epist. 108.
ad Lucili-
um

NISI comitem adjunxeris sapientiam. Da operam, nō tām, ut alibi sis, quām, ut alius fias. Quid enim peregrinari juvat, si peregrinaris cum affectibus tuis, & tua te vitia sequantur? Hæc Seneca. Oscitantibus ergo, & sine judicio, & consilio peregrinantibus parū profunt peregrinationes, de quibus illud quoq; Horatii accipiendū est: *Cælum non animū mutant, qui trans mare currunt: qui diu quidem absunt, sed vacui nummis & vacui doctrina domum revertuntur: quod turpissimum esse, rectè pronunciat Homerus. 2. Iliad. αἶψα γὼν τοῖς, ἄγὼν τε μέγας, κενεόυτε νέεσθαι.*

Iliados 2.

Placet itaq; nobis Quintiliani judiciū, qui disputans, *utrum consultius sit, domi, an in scholis publicis erudiri pueros: Sunt, inquit, nonnulli, qui putant, morib⁹ meliùs consuli, fugiendo turbā hominū: quòd corrumpantur mores in Scholis: nam licet & corrumpantur interim: domi tamen corrumpuntur quoq; & mala hæc, antequā sciunt, vitia esse, non tam ex scholis efferunt adolescentes, quām in eas inferunt. Utinam, inquit, liberorum nostrorum mores non ipsi perderemus.* Apparet etiam, corū ingenia, qui inter pri-

Hinc inde
ca. 2. lib. 1.

vatos parietes semper educati fuere, vel stupidiora esse, & minùs habere alacritatis: vel, si postea ad exteros commeent, & liberiùs vivendi potestatem habeant, quasi effractis repagulis incredibiliter insolescere.

Sed hïc omnino in multis parentibus prudentiam desiderare cogor, qui, dum præposterè sumtibus parcere volunt, liberos suos à se dimittunt, antequam eorum ingenia explorârint, & vel sine præceptoribus & inspectoribus eos apud exteros relinquant: vel in eas Academias mittunt, non in quibus maximè bonæ disciplinæ & leges florent: sed in quibus sit major vilitas annonæ: nec considerant, & minore sumtu & majore cum compendio & emolumento puerum habentem inspectorem morum & studiorum in florente aliqua Academia vivere posse, & uno anno plus discere, quàm, si septem annis, sine iudicio, delectu, & bonis ductoribus, fidisq; doctoribus peregrinetur.

Verùm, Auditores, tempus jam postulare videtur, ut ad hypothesin nos cōferamus, & iis respondeamus, quibus religio est,

est, liberos suos in eas regiones amandare, quæ hæreseos nomine suspectæ sunt.

Atqui *aliud* est, regiones ipsas perlustrare, omnia probare, quod bonum est, tenere: *aliud*, cum hæresibus & falsis doctrinis cōmercium habere. *Ex mundo exeundum esset*, inquit Apostolus, & *universæ hominum societati valedicendum, si ab omni pravorum hominum consortio abstinentū esset.*

1. Cor. 5.
v. 10.

Vt porrò vix aliquid gravius hæresi, in ea significatione, qua apud Theologos accipitur, objici potest: Sic nec temerè, nec à quovis in hæreseos suspensionem adduci aliquis debet. Vetus est & laudabile præceptum, quod Agefilao Regi tribuitur, & apud Isocratē in oratione ad Nicoclem, apud Ciceronē in oratione p̄ Sylla extat: *Non solum considerandos esse illos, de quibus aliqd dicitur, verum etiã qui in alios aliquid dicunt: & quid quisq; cogitarit, aut admiserit, non tam ex crimine objecto, quàm ex ejus moribus, qui arguitur, esse ponderandū.*

Ioan. 9. &
Matth. 26.

Accusarunt CHRISTVM blasphemix Scribæ & Pharisæi, qui tum res Ecclesiasticas apud Iudæos moderabantur, sed hypocritæ, & odio veritatis ac invidia toti

delibuti. D. Paulus, Apostolus gentium, Act. 24. tanquam hæreticus iudicio sistitur, cum *verum Deum coleret, & ea traderet, quæ in Lege & Prophetis scripta erant.* Religionem Christianam, quod eam *væp* *æ* *vnp* esse opinarentur, detestabantur Ethnici, referente Eusebio, Accusant nos hodie hæreseos, qui à Pontifice Rom. emissi & cõducti sunt. Atq; DE ILLA IPSA SEDE, teste Platina, jam olim ADRIANVS Papa dixit, *omnia mala à Pontificio culmine ruisse.* BERNHARDVS annis quingētis ante Lutherum palàm scripsit, *nihil esse integrum in illo Clero, & nihil superesse, quàm, ut reueletur HOMO PECCATI.* Item, *Eos, quib; cõmissa erat Ecclesia, non doctores fuisse, sed Seductores, non Pastores, sed impostores, non Prælatos, sed Pilatos.*

Accusant nos hæreseos, qui toties accusati, in ius vocati, admoniti, nec de Reformatione cogitare, nec ullis legib; subjecti esse hæcten; voluerūt: qui omnia sacra & p̄fana venalia habent: qui in meris Idololatriis occupantur: qui scortationes, adulteria castis nuptiis anteponunt. *Illorum scilicet placita erunt norma juris & æqui.*
Illis

Illis Græci sunt schismatici: licet Religio-
nem Romanâ longè puriorē, & ad Apo-
stolicâ magis accedentē colant. Illi in nos
scilicet sua *anathemata, bruta fulmina*, tan-
quam in hæreticos vibrabunt.

Verùm, obsecro, quid illi hæresin vo-
cant? HÆRETICVS est illis hominibus,
qui doctrinâ Symbolorum Ecclesię am-
plectitur, & ea omnia credit, quæ D. Petr^o,
aut D. Paul^o Romanis tradiderūt. HÆRE-
TICVS, qui cum D. Paulo unum Deum &
unum Mediatorem inter Deum & homi-
nes Iesum Christ. credit. HÆRETICVS, q̄
cum Hieron. sentit: Omnes Episcop. ubi-
cunq; tandem sint, sive Romæ, sive Con-
stantinopoli, sive Eugubii, ejusdē esse me-
riti & sacerdotii, siquidem *Episcopus*, teste
Aug. *nomen est operis non honoris*. HÆRE-
TICVS est, qui cum Jerem. ca. 2. conqueri-
tur, *divorum numerum equare, numerum
civitatum*. Seditioes & dissensiones no-
bis objiciūt; qui in Gallia, Polonia & alibi,
reges cum regib^{us}, p̄vincias cum provinciis
cōmittunt, & novarum seditioñū semina
quotidie spargunt: qui edicta suorū ante-
cessorū toties resciderunt: cadavera ipsorū
Pontif. ex tumulis & sepulchretis cruta in

Ad. Evā-
grium.

Decret.
quæst. 8.
Can. 1.
Qui Ep̄-
scopatu.
v. 28.

Tyberim præcipitari curarunt: qui jam p
 imaginibus, jam contra conjugium sacer-
 dotum, jam de variis Religionis capitibus
 tristes in Germania, & alibi tumultus lon-
 gè ante Lutheri tempora, Nauclero & A-
 ventino testibus, excitarunt.

vox Eccle-
 sia.

Quapropter, si universa Ecclesia loqui
 posset, hac voce procul dubio uteretur:
*Heu me miseram! quòd pastorem nacta sum
 lupum discerpentem oves: architectum ever-
 tentem fundamenta domus: caput instillans
 mèbris lethales humores: servum servorum, qui
 solium suum supra reges extulit.* Sed heu mi-
 seros mortales! quos superstitione ita cæcos
 reddidit, ut res tam perspicuas non vide-
 ant, ita dementavit, ut non meminerint,
 talem ἀποστολικὴν à CHRISTO toties præ-
 dictam fuisse. Fugiendæ omninò hære-
 ses, sed non veritas tali appellatione defor-
 mata: fugiendæ hæreses, sed convictæ, &
 legitimo judicio reprobatæ. Rectè enim
 verò Augustinus, alloquens Petilianum
 Donatistam: *Ne audiantur inter nos, inq̄,
 hac verba: Ego dico, aut tu dicis: sed poti-
 us dicamus: HÆC DICIT DOMINVS. Ibi que-
 ramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam no-
 stram, &c.* Hæc

Matth. 24
 & 2. Thes.
 2. & alibi.

Lib. 3. de
 unitat. Ec-
 cles.

Hæc sunt, quæ hoc tempore de peregrinationibus ad Evangelicas Ecclesias recitare volui, in tui imprimis gratiam, Inclyte & Generose Domine IOANNES A SKVMIN, magni illius Lituanicæ Thesaurarii, ILLVSTRIS VIRI, nec non Palatini Novogradensis magnifici, Domini THEODORI, fili Nobilissime, ut palàm in nostro cœtu prædicem, *primum* parentis tui viri summi & honoratissimi consilium sapientissimum, qui, ut ipse varias regiones peragravit, & cum clarissimis viris ac Theologis per Germaniam adolescens notitiam contraxit, & magnum rerum usum sibi paravit, qui eum in Lituania instar *flamas imitantis Pyropi* lucere & clarescere facit: sic filium ad selectas quasdam nobilissimasq; Academias cum selectis viris, & fidelissimo Ephoro amandat. *Deinde* cur non prædicent eam Heroicam indolem, quam in vultu, oratione & gestibus tuis recognoscimus omnes: eam docilitatē, quam tuus Ephorus satis laudare non potest: eam diligentiam & attentionem, quam in audiendis nostris lectionibus & concionibus præstitisti: eam

moderationem & ἐπιείκεια, qua non ex
 præjudiciis, multorum more, temere ali-
 os condemnas, sed omnia probas, & De-
 um indefinenter & ardentem invocas: ut
 te Spiritus sui Sancti luce indies collustret.
 Talem patrem servet Deus diu filio: ser-
 vet Lityvaniæ & Poloniæ, & indies pro-
 vehat. Talem filium patre ipso superio-
 rem evadere velit Deus. Talem herosa flo-
 sculi illibati instar, ab omni malo custodi-
 at Dominus, & tuæ Generositati à nobis
 Basileam commigranti prospera omnia
 largiatur, ut ad patriam postea festinans
mortiferos Sirenum cantus surda aure trans-
cas, domum redux, ET ILLVSTREM PA-
 TREM, & Ecclesiam Christi, quæ in Polo-
 nia tot lupis obnoxia est, exhilara-
 re & recreare possis.



DE PVERO IESV,

DISSERENTE IN TEMPLO

HIEROSOLYMITANO: HABITA IN

ARCE HEIDELBERGENSI CO-

RAM LEGATIS VVAYVODAE TRANS-

SYLVANI: DOMINICA POST

EPIPHAN. AN. 1591.

PRECATIO.

DOMINVS ET PATER LV-
MINVM, *in cuius nomi-
ne congregati sumus,*
*à quo omne bonum donum profi-
ciscitur, & sine cuius ope ac præ-
sentia, ne quidem idonei sumus
ad aliquid boni cogitandum, ad-
sit nobis Spiritus sui Sancti gra-
tiâ, & ducat nos in omnem veri-
tatē, ut ex sacrosancto ejus Ver-
bo instituti, indies proficiamus*

*in vera fide, et in fidei fructibus,
 officiis nimirum & moribus verè
 Christianis, comparantes nos ad
 gloriosum illum & ultimum DO-
 MINI ET SERVATORIS. NO-
 STRI adventum, qui sic nos ora-
 re docuit; Pater noster, qui es in
 cælis, &c.*

TEXTVS, QUI HODIERNÆ
 DIE IN ECCLESIIS VVLGO ENAR-
 RARI SOLET, EXTAT

Luc. 2. v. 42. & seqq.

NON est, Auditores, in Christo di-
 lecti, cur nos hodie tædere debe-
 at, EXPVERO IESV, quem nobis
 in medium producit Beatus Evangelista
 Lucas, *ex puero, inquam, duodecim anno-
 rum discere veram sapientiam, cum totus
 ille Pontificum & Sacerdotum chorus
 Hierosolymis obstupuerit super intelligen-
 tia & responsis hujus pueri; & nos omnino
 pueros fieri oporteat, innocentia sc. & simp-
 licitate.*

plicitate, si volumus ingredi Regnum cœ- Cap. 18.
lorum, juxta illud Lucæ Amen, dico vobis: V. 17.

Quicumq; non acceperit regnum Dei, tanquã
puerulus, nequaquam introibit in illud. Nec

nos tædere, vel pudere debet, proficere in-
dies in mysteriis pietatis: cùm testetur ho-

diernum Evangelium, PRÆCELLENTEM

ILLVM, ET TER MAXIMVM PVERVM Verf. ult.

IESVM PROFECISSE, VT STATVRA, SIC

SAPIENTIA ET GRATIA APVD DEVM

ET HOMINES.

Et si verò DOMINVS ET DOCTOR NO-

STER IESVS, anno demum ætatis 30. BA-

PTIZATVS A IOANNE BAPTISTA, &

solenni illa voce cælitus demissa: *Hic est*

filius ille meus dilectus, &c. hunc audite: in-

anguratus, ad docendi mun⁹ accessit, (un-

de reliqui Evangelistæ in recēsenda histo-

ria Evangelicâ, ad illud tempus, eamq̃ue

Christi ætatem statim transcunt:) non te-

merè tamen in Christi pueritia & adole-

scētia describenda non nihil præ aliis im-

moratur D. Lucas: quia habuit omnis

ejus ætas exempla laudatissima, & illustria

testimonia atque indicia, tum dignitatis

hujus personæ, tum ejus officii, ad quod

à P A T R E C O E L E S T I destinatus erat.

Vt igitur manifestè videamus, quàm præclara, quàm salubria documēta nobis hodiernū suppeditet Evangelium: perpēdam⁹, obsecro, *primum*, quid in Iosepho & Maria nobis proponatur: *deinde* audiamus, quale specimen dederit Christus in tēplo Hierosolymitano; & quid inde ad nos utilitatis & solatii redeat: ac *postremo*, quomodo accipiēda illa verba sint, *Christū profecisse sapientia & gratia, & eum, qui in templo doctorem agebat, paulò post in Nazareth, Iosepho & Maria subjectum fuisse.*

Exemplum certè *piorum & religiosorum conjugum* habem⁹ in Iosepho & Maria, quos non piguit longum emetiri iter, multos & devorare labores, & sumt⁹ in illa sua tenuitate facere, ut divinis obsequerentur mandatis, & sacris interessent coetibus & solennitatibus: quibus mirè excitatur fides & exhilaratur pia mēs. Vnde illi gemitus Davidis, quos Psal. 42. effundit, cum in tetra exilio ab illis coetibus se abesse videret? *Quando accedam, ut appaream in conspectu Dei? Sunt mihi lacrymæ meæ cibo interdium & noctu, dum recordor ejus temporis*

ris, quo turmatim ascendebamus ad domum Dei, cum voce cantus & laudationis. Mandaverat autem Deus iteratò Exod. 23. & 34. ut tribus vicibus quotānis omnis mas ante conspectū Domini Dei omnipotentis cōpareret. Ascendebāt ergo pii illi conjuges, non ex superstitione, ut qui hodie ad nescio quos Divos religionis ergò peregrinantur, sed juxta ritus à Deo institutos, & ad cultū Deo debitum præstandū: & ipsos puerulos secum abducebant, ut & illi tēpestivè gustum religionis imbiberent, & ad Iehovæ reverentiam flecterentur.

v. 14.

v. 23.

Discamus itaq; corū exemplo, & ab Apostolo moniti ad Hebræos 10. *non deserere aggregationem nostri mutuam, nec aspernari sacras cætus.* Nam ut maximè festa Iudæorum, quatenus erant umbræ futurorū, abrogata sint, & corū causā judicari nos nolit D. Paulus Col. 2: durat tamen, & manet ordo, quem coli vult Deus ab omnibus piis: durat sacrum Ministeriū: durant sacri ritus & sacramenta, quæ sperni nō possunt, quin & Deo, qui illa instituit, & mādavit, injuriam faciamus, & nos consolatione summa, ac per necessarios fidei admiculis privemus.

v. 25.

v. 16.

Alterum quod occurrit in hac historia de Iosepho & Maria, est hæc consideratione dignissima commonefactio: **QVOMODO CHRISTVS AMITTATUR: Et rursus: QVOMODO, ET VBI INVENIATUR.**

Christus
quomodo
amittatur.
Lucæ 1.

Iosephus & Maria, pii aliàs conjuges, Christum amittunt. Quæ jactura erat certè gravissima, præsertim matri, quæ ejus tutelam & custodiam divinitus sibi commissam sciebat. Facilè autem fit, ut excutiat nobis paulatim **CHRISTVS**, nobisque excidat: *primum*, quando ambulam⁹ in via cum filiis hujus seculi, & in Mundū potiùs respicimus, quàm in Christum. *Deinde*, quando fides nostra est implicita & vaga, nec laboramus, ut certò sciamus: ubi sit Christus, *quævé sit vera religio*. Sic Christ⁹ à Iosepho & Maria amittitur, cum essent in via, addicti suo sodalitiò, & cum dubia incertaq; fiducia suspicarentur, eum esse in comitatu. **O NOS MISEROS** homines, & Christum statim amissuros! si opinione potiùs quàm fide ducemur: si fluctuabimus, & certi nihil, in quo animus acquiescat, habebimus: si denique certa **πληροφορίᾳ** cum Apostolo Paulo statuere non

non poterimus: *NOVI, cui crediderim, & 2. Tim. 1. v. 12.*
mibi persuasum est, eum posse meum depositum
in illum diem servare. Sed rursus audiamus & animadvertam⁹, *quomodo sit Christus*
quærendus. Frustra ille enim verò inter cognatos & notos quæsit⁹ fuit: *& male*
querunt, qui simpliciter, ac sine discrimine, propinquorum,
aut majorum instituta cōsecantur. Nam illos errare sæpe contingit: sicut Iudæis exprobrat D. Stephanus: *v. 51.*
Actor. 7. Duri cervice, incircumcisi corde,
semper Spiritui S. obnitimini, quemadmodum
Patres vestri: ita & vos. Et monet D. Petrus, nos beneficio Christi redētos ex *vana*
illa conversatione (παρρησιασθησάντων), per manus quasi à patrum traditionibus accepta. *v. 18.*

Querend⁹ est itaq; *CHRISTVS, primum* attentè, sollicitè, magnoque studio, ut Ioseph & Maria toto triduo indefessa peruestigatione eum quæserunt. *Nec est, ut* *animum despondeamus, si prima, vel etiam* *secunda, aut tertia die in Christiana religione non omnia assequimur: perseverantia &* *constantia opus est: tandem enim qui sic* *quærit, invenit: & invenitur Christus, non* *sine magno gaudio & solatio.* Sic Ioan. I.

Philippus totus gratulabundus & gaudio exultans ad Nathanaelem inquit: *INVENIMVS ILLVM, de quo scripsit Moſes in Lege & Prophetis, Ieſum promiſſum illum Meſſiam.*

Deinde quarendus eſt in Templo: in Eccleſia, extra quam nulla cognitio Chriſti ſalutaris inveniri poteſt. Invenitur igitur in Templo, docens, id eſt, in coetu illo, in quo Verbum cꝰ ac vox ſonat: in illa Eccleſia, quæ Domus eſt Dei, & columna veritatis, domusque orationis: non ſpelunca latronum, domicilium idolorum, & habitatio Demonum. Neque enim omnibus credendum dicentibus: Ecce Chriſtus hic. Ecce in ciboriis, monſtrantiis, ut loquuntur, aut aliis ergaſtulis: ecce in pane. Aſcendit ille in coelum, conſidet ad dextram Patris: ſed in Evangelio, ut monet Apoſtolus Gal. 3. quaſi ob oculos depictus & poſitus eſt. Et Ioan. 14. ꝑnunciat ipſe Servator: Qui tenet præcepta mea, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum: & conſpicuum ei exhibebo meipſum; non quædam crassa & corporali, ſed ſpiritali exhibitione et aſpectu. Sic ultimis his quoque temporibus inventus fuit Chriſtus, poſtquam

1. Tim. 3.

v. 15.

Matth. 21.

v. 13.

Apoç. 18.

v. 2.

Matth. 24.

v. 1.

v. 21.

quàm obtinentibus tenebris Papatus diu multis in locis amissus fuisset. *Hactenus de primo cap. quid in Iosepho & Maria nobis hodiernum Evangelium considerandum subijciat. Nunc de altero, quale specimen jam tum Christus puer 12. annorum dederit, & quid inde pia mens discat.* Christus sedet in medio magistrorum & doctorum, modestè alios audiens, & graviter respondens, ac interrogans, servans in omnibus decorum, cum tanta gratia & δυνάμει, ut omnes super ejus intelligentia obstupescerent. Neq; enim, sicut Matth. 7. legimus, frigidè, & cum supercilio docebat, quemadmodum Scribæ & Pharisei: sed tanquam *habens caelestem auctoritatem & efficaciam, qua auditores incredibiliter percellerat.*

O nos tali doctore beatos! O miseros, si non afficimur ejus doctrinâ, nō permovemur! cùm contumax illa gens super ejus sapientia obstupesceret, tantâq; vel in illa ætate sapientiam miraretur! Quod si 12. annorum puer cū tanta gratia docuit: quanta fuit vis & ἐνέργεια, quando adultior, palàm ad docendum p̄diit? Ergo, Audit. in Christo dilecti, iam tunc templum ingressus Chri.

- f. 1. ftus, ostendit se eum esse, de quo Malach.
cap. 3. *Repentè veniet in templū suum DOMINVS, quem vos queritis: Angelus ille*
- v. 10. *foederis. De quo etiam David Psal. 69. Zelus domus tuæ exedit me: ostēdit, inquam, se illum esse insignem Prophetā: de quo*
- v. 18. *Moses Deut. 18. Ichova dixit ad me: Prophetam suscitabo eis è medio fratrum ipsius: indam verba mea ori ipsius, ut eloquatur eis, quicquid praecepero ipsi: Eum deniq; qui*
1. Cor. 1. *factus est nobis Sapiencia à Patre: & in, quo*
- Coloss. 2. *omnes thesauri Sapiencia & cognitionis absconditi sunt. Hic est ille Filius prodians ex sinu Patris, qui omne Dei consiliū nobis enarravit. Etsi verò non exprimat Evangelista, quinam fuerint illi sermones in templo tunc ultrò citroq; habiti, verisimile est tamen, PVERVM IESVM de impletione Prophetarum, de promissione Seminis benedicti, & similibus cum Scribis & Phariseis contulisse. Haudquaquam igitur Hierosolymis remanserat, ut cum æqualibus colluderet, sicut inepti quidam sentire & scribere non dubitarūt: sed, quemadmodum Mariæ matri verecundè respondit:*
- Ioan. 1. *Nescitis, quòd in eis quæ Patris mei sunt, oportet me*

ret me esse: Nescitis priorem tabulam præcedere posteriorem, & ita officia Deo debita esse priora, quæ parentibus debentur? Nam cum de Deo agitur, is amandus, colendus supra patrem, matrem. Nam, ut præclare scribit August. *Quomodo potest pius parentes, aut cõjuges plus amare: quam Deum, quos utiq; propter Deum & ejus mandatum amat?* Me, me, inquit, oportet ita officium facere erga te, mater, ut in primis cogitem de vocatione mea: & te decet esse memorem, Filium hunc tuum, duplicem habere generationem: alteram sine Patre, qualis est secundum carnem: alteram sine matre, qualis est divina & æterna, de qua te Angelus certiore maturè reddidit, dicens: *Hic erit magnus: & filius Altissimi vocabitur.* Idcirco postea etiam, cum Christus ad primum illud miraculum in Cana Galilææ edendum accingeretur, & in cœlesti opere divinaq; vocatione versaretur, matris imperium non agnoscit: imò ejus præcipitantiæ coërcet: quæ & opportunitatem & modum illius miraculi demissè Christo commendare, & Dei operationem patienter expectare debuit.

Lib. 21. de
Civ. Dei
cap. 16.

Lucæ 1.

Quomodo
Christus
dicatur
profecisse
scientia.

Ioan. 14.
v. 28.

Proverb.
8. v. 22.
Vide So-
zomen.
lib. 1. ca. 4.

Colos. 2.

Sed infinitum foret, singula persequi.
Igitur ad *tertium* accedo, nimirum; Quo
sensu p̄fecisse, non staturâ solùm, verùm-
etiâ sapientiâ & gratiâ, & postea, Iosepho
& Marię subiecto fuisse dicatur. Cōmemo-
rat Socrat. scriptor Hist. Ecclesiasticæ lib. 1.
c. 4. hanc olim Arianorū perpetuâ fuisse
sophisticâ, ut dicta de humilitate & forma
serui detorquerēt ad impugnandam divi-
nitatem, velut inter alia istud: *Crescebat
Christus, & proficiebat sapientiâ.* Ergo non
est verus Deus. Item, *Pater maior me est,*
& similia. Atqui non animadverterunt,
aliam longè esse rationem τῆς φύσεως καὶ
τῆς οἰκονομίας, ut Nazianz. loquitur, naturâ
sc. divinæ; & disp̄sationis sive Incarnatio-
nis. Personam enim Mediatoris utraq̄
natura cōstare oportebat: quapropter, ut
naturam, sic & sapientiam & voluntatem
habuit *duplicem: increatam & creatam.* Est
enim filius, quâ λόγος, *sapientia Dei æterna,*
(quam ἐκ τῆσδε, POSSE DIT, non autem, ut
legebat Ario, ἐκ ποσε creavit ab initio,) Sapi-
entia, inquâ, perfectissima, absolutissima.
Et in Christo, ut omnis plenitudo Deitatis,
sic & Sapientiæ & Scientiæ habitat οὐ-

μοτι-

πρωτότης sive *πρωτογενείας*. Interim tamē, quē-
 admodū filius Dei humanā & carnem &
 animam assumpsit: sic & naturæ humanæ
 infirmitates affectusq; , excepto peccato:
 imò & ipsam carnis mortem subiit, non qui-
 dem conditionis necessitate, inquit August.
 sed miserationis voluntate. Vnus idemq; e-
 Christus, ut scribit Fulgentius, qui, quod hu-
 manū est, HABET ΛΟΓΟΣ in veritate hu-
 manæ naturæ: quod divinum, habet HOMO
 in veritate Divinæ naturæ. Cur igitur for-
 midem⁹ dicere & sentire, Christū sua ani-
 ma assumpta cum veritate humanæ naturæ,
 successivè didicisse & p̄fecisse, cum nō for-
 midem⁹ dicere, animā ejus turbatam, an-
 xiam & mœstā fuisse, ignorasse sc. quā ho-
 mo, diem Iudicii; illum deniq; mortuum,
 qui tamē erat vita Mundi? Cur hæc simu-
 latè sic dicta, quòd noluerit nos illa scire,
 vel tacendi aliquā dispensatione, aut si-
 milia, quæ à nonnullis ad illa loca, ut pu-
 tant, mollicenda, afferuntur, imaginemur,
 ac non potius ita interpretemur, ut a-
 lia multa nos interpretari oportet, per
 distinctionem naturarum, quemadmo-
 dum à magnis aliquot patribus & Ec-

In Psal. 88.

Lib. 3. ad
Thrafi-
mund.

Sermone
9. contra
Arianos.

Lib. 9.
Thefauri
cap. 4.

In secun-
dum Luc.
& de in-
carnatio-
nis Domi-
nicæ Sa-
cramento
cap. 7.

clesiæ doctoribus factum est? Sic enim
ATHANASIVS: *Hominis fuit proficere sci-
entia: Filius Dei, quâ Verbum, est eterna
sapientia Patris, ut carne passus, carne esurrit,
sic profecit sapientia pro conditione carnis.*
Sic & CYRILLVS scribit, *Christum nescivisse
se diem Iudicii, scientia humanâ, sive, quâ
filius hominis; quo respectu etiam profecit
scientia & sapientia. Hominis proprium est,
inquit, ignorare futura; licet quâ Moyses, per
quem universa tempora & secula facta sunt,
omnia sciat. Ita & Ambrosius, sensu homi-
nis animam dixit turbatam: sensu hominis
rogavit, qui rogantes exaudire consuevit:
sensu hominis profecit aetate, sapientia, gra-
tia apud Deum. Quomodo proficiebat sapi-
entia Dei? Doceat te ordo verborum: profec-
tus aetatis & profectus sapientia, sed huma-
na est. Ideo ÆTATEM antè premisit, ut se-
cundum homines crederes dictum. Aetas
enim non divinitatis, sed corporis est. Verè
suscepit, ut perfectionem humanæ naturæ, sic
sensum hominis. Hæc Ambrosius.*

Talia dum ex Scripturis & cum pia vetu-
state, vel de profectu Christi, vel de ignora-
tione Iudicii secundum humanam naturam
tradi-

tradimus: non dubitarunt Vbiquitarii in libro *sua Concordia*, & alibi, Ecclesiis nostris AGNOETARVM errorem objicere: de quo non intempestivum videtur aliquid attexere: quia non ita omnibus nota, nec ita obvia est historia de hæresi Agnoëtarū, quæ maturè sopita, & appendix tantum fuisse videtur, partim Arianæ, partim Eutychianæ hæreseos. Ac de ea quidem ita scribit *Isidorus Hispalensis Episcopus*, qui floruit an. Christi 620. *Agnoëtae ab ignorantia dicti sunt: quia perversitati, à qua exortuntur, hoc adjiciunt, quòd Christi DIVINITAS ignoret futura, quæ sunt scripta de die, & hora novissima, &c.* Agnoëtas etiam nominat & perstringit *Gregorius*, ejus nominis primus, Episcopus Romanus: cùm asserit, *Personam Christi scire diem judicii.* Lib. 8. ep. 42.

Agnoëtas autem cum Nestorio discernere Personam, quòd velint, Sapientiam Dei incarnatam aliquid ignorare.

De Agnoëtarum hæresi.

Lib. 8. origin. de hæresib.

Lib. 8. ep. 42.

Si porro (inquit) omnia per λόγος facta sunt, etiam dies & hora Iudicii: Quis ergo ita desipit, ut dicat, VERBUM PATRIS ignorare quod fecit? &c. Item: Pater solus dicitur scire horam Iudicii: quia Filius ei con-

substantialis: qui scit quod Angeli ignorant, in natura humana: sed non ex natura humana. Diem & horam non nisi per Deitatis potentiam novit.

Duo certè illa loca evidentissimè testatur, Agnoëtas idè à Patribus reprehensos fuisse, quod sentirent, λέγει, qui humanam naturam assumpsit, non omnia scire: dum duas illas naturas confundebant, ac in unum coisse putabant.

Hic verò confugiunt Vbiquitarii in Apologia Erfurtenfi ad Nicephorum, qui in historia sua Ecclesiastica, disertè scribere videatur, hoc nomine damnatos fuisse Agnoëtas, quòd sentirent, Christum secundum humanam naturam quædam ignorasse. Verba autè Nicephori hæc sunt: **A G N O E T Æ** dicunt, Deum quidem Verbum omnino nosse, Humanitatem verò secundum subsistentiam ei unitam per multa ignorare, & nescire horam diei novissimæ.

Hæc Nicephorus; ejus auctoritatem etsi aspernari possemus, cum multa habeat, ut omnes eruditi norunt, fabulosa, & ejus opera ante annos demum triginta Basileæ edita fuerint: maluerunt tamè nostri Theologi cum conciliare cum illis aliis præcipue

is, & suprà citatis authorib⁹, presertim cùm
Patres illi, quorū testimonia paulò antè p-
duxim⁹, & alii aliquot scientiā Christi co,
quo nos modo, distinguāt. Nam & Naziā.
in hūc modū scribit. *Eccui dubium esse po-
test, quin horam quidem Iudicii, ut Deus, co-
gnitam habeat, ignoret autem, ut homo?*

Oratione
secunda
de Filio.

Quare Nicephor⁹ sic intelligendus est,
Agnoētas falsos, Deum Verbū, scilicet ante
incarnationē omnia novisse: sed Huma-
nitatē secundū subsistentiā ei unitā, id
est, hypostasīn illā Mediatoris, vel, ut Gre-
gor. loquitur, Sapient. Dei incarnatam mul-
ta ignorare. Nam & Niceph. postea disertè
scribit, errorē Agnoētārū, derivari ex Aria-
nismo, qui ex illo dicto, *Filium nō nosse di-
em Iudicii*, astruebāt, Filiū Patre esse mino-
rē: & Themistiū Philosophū, q⁹ ppagator
fuit erroris Agnoē. in Arrianis. impegisse.

Nec facit pro adversariis, quod ex Da-
masceno adfert Apologia Erfurtensis.

Lib. 3. de
fide ortho-
dox. c. 23.

Quid dicunt: Christum profecisse sapien-
tia & gratia, ut accessionem eorum susci-
piat, sc. respectu λόγος; non rectè docent
hypostaticam unionem. Nam si verè ab
initio Incarnationis caro DEO VERBO unita
est, ac potius in verbo subsistit: quomodo

non perfectè locupletata est omni sapientia?

QVIS, QUÆSO, NON VIDET, Damascenum eo in loco idem dicere, quod nos cum D. Paulo dicimus, *in illa Persona Mediatoris habitare per unionem Personale, ut omnem Deitatē, sic omnes Sapientia thesauros: Confusionem autem naturarum, & effusionem proprietatum unius nature in alteram, quam invehunt VBIQVITARIJ, apertè his verbis idem Damascenus redarguit: Non est quidem ipsa, sc. natura humana, particeps facta horum participativè secundū gratiam: sed propter hypostaticam Unionem, & divina & humana unius Christi facta sunt: inde plenitudo omnis, velut ex fonte scaturit Mundo.*

Hæc per digressiunculam paucis dicta sunt, pro huius loci, de Christi profectu, uberiore explicatione, & Orthodoxarum Ecclesiarum contra malevolorum calumnias vindicatione.

Venio ad illud, quod PVER ILLE XII. ANNORVM, SVBIECTVS FVISSE DICITVR sc. ad tempus, donec caritas adfuerit, virilis nimirum, qua ad vocationem suam

suam obeundam accedere debuit. Sed de illa *subjectione observandum est: Illam, ut monet Ambros. pietatis & voluntariae exinanitionis, non autem infirmitatis fuisse. Exemplum præterea piis liberis propositum, ut extra ea quæ Deo debemus, omnem honorem parentibus exhibeant, sintque ipsis ad omnia officia parati. Denique subiectio illa, pars aliqua fuit exinanitionis Christi in forma servi: Sicut & illud, quod pro sabro lignario habitus fuit Marci 6. Ipse est aliàs magnus ille heros, cui subiecta sunt omnia, & qui à Diaboli & peccati subjectione nos liberavit, & qui nobis à Patre factus est Sapientia, iustitia, sanctificatio & redemptio. Quemadmodum igitur Maria, ea omnia, quæ de hoc puero audiebat, in corde suo conservasse dicitur: ita & nos magna hæc mysteria ponderemus, & si Iesum adhuc infantem Magi in præsepi adorarunt, eundem puerum duodecim annorum, Rabini Iudæorum in Templo cum attentione & admiratione audiverunt: cur nos eum in coelis ad dextram Patris sedentem non suspiciamus? Cur ejus Evangelium, in quo universum Dei consilium*

Hebr. 2.

1. Cor. 1.

Actor. 20, de nostra salute continetur, non religiosa
 fide amplectamur? Hoc autem saxis, si-
 ne quo ne cogitare quidem aliquid boni pos-
 sumus: ille, inquam, det nobis Spiritum sa-
 pientie & revelationis, ut illuminentur ocu-
 li cordium nostrorū, & sciamus, quæ sit opu-
 lētia gloriæ & excellentia magnitudinis
 virtutis ejus in nobis, qui credi-
 dimus in Iesum Christum,
 Amen.

Ephes. 1.



O R A.

ORATIO XI. FVNEB: 229

MEMORIAE

ILLVSTRISS. ET FORTISS. PRINCIPIS

IOANNIS CASIMIRI,

COMITIS PALATINI AD RENVM.

TUTORIS ET ELECTORII PALAT.

ADMINISTRATORIS, DUCIS

BAYARIAE:

PRÆSENTIBVS ILLVSTRISS. ET

POTENTISS. PRINCIPIB.

FRIDERICO IV.

ELECTORE &c.

IOANNE ET CAROLO

PALAT. ET BIPONT. DVCIBVS, &c.

ERNESTO ET GEORGIO

FRIDERICIS.

MARCHIONIBVS BADENSIBVS, &c.

QUAMPLVRIMIS PRÆTEREA ILLVSTRIB.

ET GENEROSIS COMITIB ET BA-

RONIBVS AMPLISS. LEGATIS

VNA CVM FLORE PALATINÆ NOBILL-

TATIS, HABITA HEIDELBERGÆ IN

COETV ACADEMICO

XXVII. IANUARI

ANNO CHRISTI 1692

A DAN. TOSS. S. THEOL. D. ET PRO-

FESS. IN ECCLES. ET ACAD. HEIDEL.

ERGONE hoc nobis juges plu-
 via superiore æstate, & pla-
 nè turbida, procellosa, & inu-
 sitate cæli constitutio: nubi-
 laque & prorsus inamæna hujus anni exor-
 dia denunciabant, futurum, ut brevi ma-
 gna illa Germanicæ lumina, & patres patriæ,
 Elector Saxonæ, re & nomine CHRISTI-
 ANVS: & Illustrissimus ille, totoq; orbe
 Clarissimus Princeps IOANNES CASI-
 MIRVS, Comes Palatinus ad Renum, Ba-
 variæ Dux, & Electoratus Administrator,
 Dominus noster, & patronus clementissi-
 mus, nobis subducerentur?

(LVBE T enim, Illustrissimi & Religio-
 sissimi Principes: Illustres & Generosi
 Domini Comites & Barones: Illustris &
 magnifice D. Rector: ceterique omnium
 ordinum nobilissimi, amplissimi, clarif-
 simi & ornatissimi viri: studiosi lectissi-
 mi: iisdem ferè verbis orationē hanc no-
 stram exordiri, quibus funebrem suam de
 obitu THEODOSII IMPERATORIS
 orationem exorsus est B. Ambrosius.)

O tristem & luctuosam anni clausulam!
 Ô funesta & inauspicata huius anni exor-
 dia!

dia! *Heu, quàm præcipiti dubioq; nimis sunt* Seneca in
excelsa loco! Aliaq; ex aliis cura fatigat: Traged.
Vexatq; animos nova tempestas.

QVANTO humana negotia motus,
Alternasq; vices miscent! quo turbine fertur Maphcus.
Vita hominum? ô fragilis damnosa superbia
sceptri!

Sed apage inanes querimonias: apage
 murmura, & ejulatus. *CVR* conqueratur
HOMO MORTALIS propter pœnas pec- Lamēt. 3.
 catis suis debitas, inquit *IEREMIAS*. Per-
 scrutemur potiùs, et per vestigem^{us} vias nostras,
 & revertamur ad *IEHOVAM*. Attollamus
 animum nostrum cum manibus ad Deum for-
 tem in cœlis, dicentes: Nos defecimus à viis
 tuis, & rebelles fuimus tuis mandatis: Ideo
 hæc nobis evenit contritio, & contra nos di-
 latant os suum omnes inimici nostri, donec
IEHOVA respiciat nos.

ETSI verò incrementum doloris esse
 videtur, Auditores, de iis, quæ amissimus,
 longam instituere Orationem: *QVIA* ta-
 men *DOLERE* sæpe solatium est dolen-
 tis; & in huiusmodi sermonibus funebri-
 bus quasi reviviscunt ii, quorū funera, pia
 recordatione prosequimur: ac denique

PRAVVM & malignum est, inquit Plinius
 in epistola ad Euricium, non admirari ho-
 minē admiratione dignissimū: Dicam primitū
 (quandoquidē mihi, licet parum omninō
 idoneo, hæc dicendi provincia auctoritate
 superiorū est imposta) quantum amiseri-
 mus Principem: ut simul nostram gratitu-
 nem erga tantum patronum testatam fa-
 ciamus: atque etiam nostram erga Deum
 ingratitude penitiū recognoscamus,
 qui nos tali Principe, qui ætatis annum
 XLIX. nōdum impleverat, tam dubiis or-
 baviv temporibus. Deinde malagmata que-
 ram dolori nostro, & pia ac solēnia vota pro
 felici gubernatione novi Electoris, FRIDE-
 RICHI QUARTI Illustrissimi Principis, &
 Domini nostri clementissimi, concipiā.

Ceterū dabitv mihi p vestra pietate
 veniam, Auditores, si in ipso orationis li-
 mine, rursus ingemiscā, quōd me Domi-
 nus his luctuosis temporib⁹ superesse vo-
 luerit, & oratione funebri ILLI PRINCIPI
 parentare, quem memini me quater ex
 bellicis quatuor diversis expeditionibus
 reducem, salvum & incolumem concioni
 publicæ se sistentem, fausta acclamatione

exceptisse: AVRELIÆ *primùm* in Galliis, anno 68. ubi ejus Celitudinem, militiæ Christianæ prima tyrocinia facientem, & magno illi Heroi, LVDOVICO BORBONIO, PRINCIPI CONDEO, & Ecclesiis Gallicis suppetias nomine ELECTORIS PATRIS ferentē, cum incredibili læritia vidimus, salutavimus, zelum & pietatē IUVENIS PRINCIPIS admirati sumus : qui in frequenti Ecclesiæ cœtu (cujus rei sæpe recordari, & mentionem facere solebat) explicationem Psal. 122. ex me tunc audivit: in quo Psal. inter alia hæc occurrūt: *Letor de eo, quod dicitur mihi: Domum Iehovæ ad- eamus: & quod consistunt pedes nostri intra portas vestras, ô Ierusalē. Propter fratres meos, & amicos meos, & propter domū Iehovæ Dei nostri procurabo bonum tibi.*

ANNO deinde 76. die 25. August. cū pace in Galliis cōstituta, rebusq; feliciter gestis, EX SECUNDA expeditione Gallicâ revertetur, & in hac civitate displosis majoribus bōbardis incredibili cū ELECTORIS, & toti^o aulae, ac civitatis applausu exciperetur: re- ctā à PIO ELECTORE PATRE in sacellum arcis deductus est: ubi ex cap. 6. libri Iudi-

cum, & postridie in templo Civitatis ex Psal. 21. de felici reditu ei gratulati sumus, & gratias solennes Deo egimus: sicut ex Aulicis, ex Dominis Cōsiliariis, & ex Professorib⁹ nonnulli ꝑculdubio recordātur.

ANNO verò 79. mense Martio, cum ex TERTIA EXPEDITIONE, quæ in Belgium facta erat, & ex Anglia, ubi honorificentissimè à Regina & omnibus Ordinibus exceptus fuerat, NEUSTADIVM rediret: rursus huic Heroi in frequenti concione ex Psal. 118. fausta precati sumus.

QUARTA EXPEDITIO fuit Coloniensis: unde cūm ad Electoratus Administrationem, juxta imperii statuta, defuncto Electore fratre, huc revocaretur, & Neustadio me ad se accersivisset: memini me TERTIA NOVEMBRIS anno 83. in Celsitudinis ejus conclavi, in arce, præsentibus primariis aliquot Cōsiliariis, tum de reditu prospero, tum de nova dignitate ejus Celsitudini gratulatum: & OPTIMUM PRINCIPEM, cum summis difficultatibus tunc luçantē, brevi interpretatione horum verborum ex Psal. 90. cōsolatum esse: *Revertere Iehova: usq³ quò?*

Satis

*Satia nos mane benignitate tua, ut cantemus
& letemur omnibus diebus nostris. Latifica
nos secundum dies, quibus afflixisti nos, &
experti sumus malum.*

ILLA, ILLA, Auditores, Cantica gau-
dii, ILLOS applausus, ILLAS congratu-
lationes in tristes Monodias & funebres
planctus esse cōmutatas: & jam ejus mor-
tem deflendam, *cujus vita tam multis pro-
fuit, & tam multis fuit servata periculis: NISI*
dolerem, nisi communem calamitatem
deplorarem, ferreus essem: aut *duris me-
genuisset cantibus horrens Caucasus, Hyrcan-
naq; admōssent ubera tigres.*

Atqui nolo diutiùs expectationem ve-
stram morari: quorum aures arrectas esse
video, non tam ut funebres nœnias audia-
tis, quàm ut in rerum aliquot memorabi-
lium ab ejus Celsitud gestarum recitatio-
ne Principem quasi redivivum intueami-
ni: & dum, quid Deus Opt. Max. per illud
Organum præstiterit, intelligetis, Divinã
providentiam admiremini: eorum verò
detestemini perversitatem, qui vel hæte-
nus parum honorificè de eo senserunt:
vel de ejus obitu in sinu gaudent, aut fortè
etiam tripudiant.

QVANTI Principis & quidem Electo-
 ris filius fuerit noster Heros: nihil attinet
 dicere. Illud enim esset SOLEM monstra-
 re. Patris certè Electoris Illustriss. observā-
 tissimus semper fuit: eiq; morienti adfuit,
 & lumina clausit: educatus aliās in prima
 adolescentia, quemadmodum Moles &
 Constantinus Magnus *in tyrannorum &
 persecutorum Ecclesie aulis: in quibus ta-
 men puniendis illi postea, inquit Eusebius,
 Deo ser uiverunt.* Nam cū Illustrissimus
 noster Princeps adhuc puer, Duci Lotha-
 ringiæ Carolo adjungeretur: is verò in au-
 lam Regis Galliarum Henrici II. abduce-
 retur: complures annos cum Lotharin-
 gico Duce in illa aula exegit: unde tandē
 à PATRE RECENS ELECTORE REVOCAT,
 Religionis reformatæ primum gustum in
 hac Ecclesia hausit: & *sua civilitate ac af-
 fabilitate, ad quam à natura factus erat,* vi-
 cinorum omnium Principum gratiam si-
 bi facilè conciliabat: PARENTEM autem
 SERENISSIMVM, quem OMNIS SIN-
 CERÆ PIÉTATIS VIVVM EXEMPLAR,
 ESSE VIDEBAT, tanto perè reverebatur-
 ut an, 66, in AVGVSTANIS COMITIIS co-
 ram

Euseb. lib.
 I. de vita
 Constan.

Ducis Ca-
 simiri edu-
 catio.

ram Imperii Ordinibus, Sacrorum Bibli-
 orum volumen, (quibus armis pius Ele-
 ctor tunc contra obtrectatores nitebatur)
 DVX CASIMIRVS, tāquam sacer armiger PA-
 RENTI pretulerit. Quæ pietas erga patrē,
 ingenuitas & alacritas p̄clarā jam tum sp̄e
 de ILLVSTRI ADOLESCENTE in multo-
 rum pectoribus excitavit, & vel hostibus
 ipsis admirabilis ac formidolosa fuit.

Cū porro anno 67. in Gallia denuò
 exardesceret & instauraretur bellum con-
 tra Evangelicos: & agnosceret PIVS ELE-
 CTOR FRIDERICVS, quid postulet
 nonnulla sanctorum: agnosceretque idem
 sapientissimus Princeps, perniciem esse
 IUNIORVM PRINCIPVM. si domi in
 otio & luxu torpescant: sub ipsum anni
 68. initium, Ducem IOANNEM CASI-
 MIRVM filium, Copiarum ductorem
 esse voluit: & *ineuntis ætatis ac roboris
 primitias Ecclesie Christi consecrare*: ad-
 junctis ei ex primaria nobilitate sum-
 mis viris, & prudentissimis Consiliariis,
 qui illius ætatis consilia & actiones tempe-
 rarent. Dicitur certè non potest, quanto perè
 TALIS PRINCEPS, in illo ipso ætatis flore,

Prima Du-
 cis Casi-
 miri expe-
 ditio.

in Gallia educatus, Gallicū idioma egregiè
 sonans, civilis, humanus, universæ nobi-
 litati, & nominatim LVDOVICO BOR-
 BONIO, PRINCIPI CONDEO, qui cū
 MAGNO GALLIÆ AMIRALIO & ma-
 gna parte exercitus in Lotharingiam usq;
 ejus Celsitudini obviam processerat, carus
 & acceptus fuerit. Et nonné hoc, Audi-
 tores, memorabile est, quòd nullus hosti-
 um in Gallia aut alibi exercitum, cujus
 LEO ILLE DVCTOR fuit, laceffere
 unquam est ausus? Ad pacis igitur condi-
 tiones adactis cōjuratis in Gallia ante op-
 pidum Carnutum, quod à Condeo & Ca-
 simirianis militibus cingebatur, patrios
 lares cum integro & salvo exercitu repeti-
 it noster Heros: quem nō ita multò post,
 anno nimirum 70. fulgentem gloriā &
 virtute, generū sibi adsciscere voluit P O-
 TENTISS. ILLE SAXONIÆ ELE-
 CTOR AVGVSTVS. Neq; in Conjugio
 tamen, ut sæpe fieri solet, languori & iner-
 tiæ se tradidit CORDATISS. PRINCEPS,
*qui se ad magnæ virtutis opus, magnosq; la-
 bores natum & factum esse sentiebat. Pa-
 tris Optimi ille latus sæpe claudere: gravibus
 sæpe*

*sepe deliberationibus & consiliis interesse,
& rationem gubernandi addiscere solebat.*

LAVTREÆ in Palatinat^o finibus versus Occidentē, quasi Limitane^o dux, q̄ pro patria in excubiis esset, ab ILLUSTRIS. ELECTORE collocat^o. Hic verò, Auditores, an præteream, qua occasione Psal. illum 86. cuius initium est: *Inclina Iehova aurem tuā, &c.* (quo meministis ejus Celsit. peculiariter delectatam) sibi quasi propriū delegerit?

Psalms
86. Duci
Casimiro
familiaris.

Cū an. 74. vergente æstate in gravissimam pleuritidem incidisset, & vires ita prostratæ essent, ut planè deplorata ejus valetudo videretur: factum est, ut à militibus aliquot sclopetariis Gallis, quos tunc in area arcis in præsidio habebat, gallico idiomate cantillaretur ille Psal: quò cantu ita subito affectus & recreatus fuit P I V S P R I N C E P S, ut ad ostium cubiculi aliquoties cantum illum repeti voluerit, ac divinit^o Psal. illum militibus suggestum, tanquam ad illud temp^o, appositissimum sibi persuaserit, & postea velut proprium ac verè ἀλεξιφάρμακον Psal. sibi vendicaverit.

Ipse porrò pristinæ valetudini restit^o, ut nullum unquam laborem, nullum pe-

Q

riculum patriæ & Ecclesiæ denegavit: sic, cum anno 75, magni motus rursus in Gallia excitari essent propter Alenconii Principis secessionem ex aulâ: & eo tempore Heidelb. exularent Henricus Borbonius, Condens Princeps, Ludovici filius, Vice-dominus Carnutensis, Toreus Connestablii filius, aliq; cōplures, *qui ad hunc portum, nempe ad Electoris Palatini pietatem & fidem, semper confugiebāt: sub finem Novemb. alteram expeditionem auspiciis Parentis in Galliã suscepit: ubi secūdo pacis sequester extitit: dum hostes quibusvis conditionib⁹ cum ejus Celsitud. transigere malebant, quàm manus conferere. Salvus itaq; & haud sanè inglorius cum exercitu reversus mense Augusto PATREM ELECTOREM mirificè exhilaravit: qui valetudinē suam inclinari presentiēs (obiit enim duobus post filii reditū mensibus) suavius se moriturū putabat, si in filii carissimi & obedientissimi cōplexu, sicut factum est, animam exhalaret. Et memini, Auditores, (rem gestā narro) cū PIVM PRINCIPEM, PARENTIS OPTIMI obitū non sine magnis gemitibus lugentem consolaret: & hortat-*

Altera
DVCIS
CASIMI-
R I in Gal-
liam ex-
peditio.

hortarer, ut potius illum zelum, illum in-
 victum beati parentis animum indueret:
 eiusq; vestigiis insistentes, alterum Ecclesi-
 arum patronum nobis repræsentaret, re-
 spondisse: Se quidem ad rem tantam per-
 faciendam valde infirmum: sed Deum, per
 quem omnia possumus, sedulo invocatu-
 rum, & per ejus gratiam officio non defu-
 turum. Et quia multos sinistros de sua Celsit-
 rumores à malè feriatas hominibus spargi
 audiebat: ac si Religionē in gratiam parē-
 tis tantum amplexus esset, & se in posterum
 vel ad conjugis, vel ad aliorum nutum & vo-
 luntatem accommodaturus, ac deniq; tanto
 oneri, totq; tentationibus par non futurus:
 His ut occurreret, & suam veluti fidem Ec-
 clesiæ obstringeret: PARENTIS RELIGI-
 OSISS. *luculentam Confessionē* ex Testamē-
 to describi, & cum solenni testificatione
 de eadem fide edi curavit. Præterea eo ipso
 tempore inter varia symbola, quæ ejus Celsit-
 ronebantur, illud: CONSTANTER ET
 SINCERE, delegit, quod *duobus illis adver-*
bis de duabus pernecessariis virtutibus se cō-
moneferi intelligebat. Quid enim est Con-
 stantia sine Sinceritate animi vel doctrinæ;

Ducis Cas-
 sim. Sym-
 bolum.

*nisi hypocrisis aut pertinacia? Quid sincera
doctrina cognitio iuvat, nisi eam constantia
firmet & coronet?*

Nec certè inanis fuit illa Principis pol-
licitatio, nec irrita ejusdem SPES IN DO-
MINVM DEVM EXERCITIVM. Nam
quis nō miretur, eum Principem, qui nec
bonis literis tinctus, nec puer in Ecclesiæ
sine educatus fuerat: qui vix primam
adolescentiã egressus, in castris inter mili-
tes versatus est: quẽ meminim⁹, domi sua
habuisse obstacula: foris tot Principes, tot
Monarchas suis institutis adversantes: cui⁹
Regio exiguis circumscripta terminis erat:
reditus non ita ampli: cujus natura plus
ad lenitatem, facilitatem, & nimiam ali-
quando abjectionem, quàm ad terrificam
aliquam ferociam propendebat: res par-
tim conatum, partim præstitisse tantas:
quæ si maximè communibus OMNIVM
EVANGELICORVM PRINCIPVM
auspiciis tentatæ & factæ fuissent, ponde-
rosæ satis & difficiles erant. Orbatus ille
SERENISSIMO PARENTE, & omni-
bus panè aliis præsidiis, Ecclesias Gallicas
& Belgicas consilio & ope iuvat: &, ne in
suis

Ducis Ca-
simiri res
gestæ.

fuis expeditionibus in Galliam, rebus privatis studuisse videretur, ubi primùm Regem Gallia: Evangelicis fidem non servare intellexit: omnia emolumenta & honores à Rege oblatos resignavit: interque alia, usumfructum *Stampiani Ducatus*, & Comitatus *Chasteautiery*: nec non præfecturam 100. cataphractorum, præter alias aliquot arces, quæ ipsi oppignorata fuerant. CONDEO PRINCIPI, HENRINO BORBONIO secundùm exulati, RUFORTIO EQVITIAurato, & aliis Heroibus Gallis, Francotalii hospitium dedit. Eum CASTILIONEVS insignis *Heros, Lavallius, Britannia* Regulus: cum BILIONE I fratres; cum Regina: Angliæ legati; cum Poloni NEVSTADII ET LAVTREÆ & inviscere, & dereb⁹ consulere gravissimis voluere. In Belgium rogatus ab Ordinibus an. 78. exercitum duxit, cui hostes semper terga obvertere: & res proculdubio majores ac splendidiore præstiturus erat, si illo organo alii rectè usi fuisset, & debita adminicula suppeditasset.

SCHOLAMILLE ILLVSTREM,
& omnib⁹ sectis nostri temporis maximè

Tertia
Ducis Casimiri expeditionis.

formidabilē aperuit: magnisq; sumptib⁹
 Neustadii, loco opportunissimo, unā cū
 CELEBRI TYPOGRAPHIA fovit: quā
 Scholam meminimus visere voluisse &
 MAGNOS HEROAS, PRINCIPES VIROS,
 & COMITES: nominatim BILIONEOS
 DVCES, COMITES à MARCA: quos in
 ipso Padagogio lectiones audire ibi non
 tæduit. Viserūt etiam illam Scholam &
 Ecclesiam clariss. & præstantissimi viri, D.
 CHRISTOPHORVS TRECIVS PO-
 LONVS: DANIEL ROGERIVS ANGLVS:
 ex Belgio ALDEGONDVS: ET VENERAN-
 DVS SENEX ET DE SCHOLIS VNI-
 VERSIS OPTIME MERITVS D.
 STVRMIVS: ut innumeros alios præter-
 mittam. Anno verò 83. quantum apud
 illum nostrum PRINCIPEM, Deus bonel
 solatii & præsidii invenit COLONIENSIS
 ELECTOR GEBHARDVS. Quoties,
 se illum præ multis aliis verè fratrem Chri-
 stianum agnovisse, prædicavit? memor
 nimirum ejus, quod Tarquinius illa dice-
 re solebat: *se tunc, cum exule esset, intellexisset, quos fidos amicos habuisset, quosq; infidos: cum neutris gratiam referre posset.*

Cicero in
 Latio.

Ceterum reticere non possum, quid

paulò ante expeditionem Colonienfem,
 ILLVSTRISS. PRINCEPS CASIMIRVS
 laudatiffimę memorię cuidã responderit,
 momēti, *nimis grande & audax esse inceptũ,*
unum Principẽ in se fufcipere, quod hactenus
ab omnibus ordinibus Evangelicis obtineri
non potuerit: ut videlicet Collegiatis illis
Ecclefijs, & Ecclefiast. libertas Religionis
& Coniugii relinqueretur, & in Electorali
ac Ecclefiastica dignitate toleraretur cõju-
gatus ac Evangelicus: Cui, inquã, in hanç
ferẽ fententiã ejus Celfitud. respondentẽ
audiui: Atqui in magnis etiam voluiffe mul-
tum eſt: pulcrumq; mori fuccurrit in armis:
modo patrię meę, & fratri ac amico Gebhar-
do fidem datam probem, & meo exemplo ali-
os ad id perficiendum extimulem, quod ego
pio Zelo fuero conatus.

Et cum profectò, Auditores, ab omni-
 b⁹ pænẽ fociis defertum, & dum aliis fuc-
 currere volebat, feipfum in fummũ discrimen
 adducentem, Deus O.M. refpicere, &
 remunerari vilus eſt: quando ipfũ ex bel-
 licis tumultib. circa Coloniã creptum, ad
 Electorat⁹ gubernacula in patriã vocavit
 & reduxit: cui Aminiſtrationi & muneri
 ubi primũ cum præfici voluit Omni-

Quarta
 Ducis Ca-
 fimiri ex-
 peditio.

Ducis Ca-
 fimiri vo-
 catio ad
 Electorat⁹
 admini-
 ſtrationẽ.

potens: nihil ille prius habuit, quàm, ut
 commissum suæ fidei & tutelæ pupillum,
 ILLVSTRISSIMVM ET CLEMENTIS-
 SIMVM NOSTRVM PRINCIPEM ELE-
 CTOREM FRIDERICVM IV. quàm
 optimè in pietatis in primis doctrina institui
 curaret: & ut remotis rabulis, quos certè,
 ut acta testantur, non propter eorum Agen-
 dā, sed propter convivia, calumnias & tri-
 bunitias conciones, & quòd omnia moderata
 consilia a versarentur, præter suum institutū
 exautorare coactus est, tales sufficeret mini-
 stros & Doctores, qui aures auditorum, non
 maledictis & prodigiosis dogmatibus, sed do-
 ctrina Fidei & Pœnitentiæ, piisq; ex Verbo
 Dei desumptis cohortationibus implerent.
 Quoties bonus ille Princeps in Conclavi,
 in Cancellaria, in publica disputatione, in
 concionib⁹ importunorum illorum ho-
 minum, qui omnem religionem in co-
 versari putabant, si quis acerbissima quæq;
 convicia in eos, quos Calvinistas vocant,
 id est, propriè loquendo, in Orthodoxos
 ejaculetur, insulfas & maledicas voces au-
 divit? Quoties eos etiam coràm clemen-
 tissimis verbis ad moderationem, ad stu-
 dium

dium pacis, ad rationes nostras audiendas
 inviravit, & cohortatus est? Quantum la-
 boravit in claris & moderatis viris ex va-
 riis provinciis huc evocandis? Quantum
 tū illi cordi fuit, ut Ministri in Palatinatu
 officium facerent, *rectè secantes verbum*
veritatis, & auditoribus bono exemplo præ-
cuntes? Quot in hunc finem visitationes
 instituit? Quantoperè, Deus bone! de
subditis sollicitus erat, ut illi in doctrina Ve-
ritatis, depositis præjudiciis p̄ficerent. Quàm
 assiduus, & quàm attentus fuit ante bien-
 nium in Curia, quādo unā cum Illustri-
 simo nepote civium gravamina audivit,
 eosq; paternè moneri & erudiri? Quoties
 laudabiles aliquot, & ad honestam disci-
 plinam facientes **ORDINATIONES**
PARENTIS ET FRATRIS, LAUDA-
TISSIMÆ MEMORIÆ, Electorum, pro-
 mulgari, renovari, inculcari curavit? Et
 licet bellicis consiliis sæpè implicat⁹ (nam
 ejus præcipuè auspiciis bis hoc quadrienn-
 io exercitus in Galliam ductus) & lingue
 Latinæ (quod sæpe deplorare solebat) gna-
 rus non esset: novit tamen **ACADEMIA**
NOSTRA, quantoperè colloquiis & cō-

Casimi-
ranum.

suetudine PROFESSORVM sit delectatus
quàm non gravatè in publico Auditorio,
tum solenni illi Disputationi Eucharisti-
cæ, an. 84. habitæ interfuerit, tum Oratio-
nes aliquot audiverit! quanta munificen-
tia COLLEGIVM illud splendidissimum
(quod de ejus Celsitud. nomine CASIMI-
RANVM vocatur) extrui curaverit! Nec
putou, illum ex professorib⁹ aut illius Col-
legii alumnis hoc loco à lacrymis sibi tē-
perare posse, si memoria repetant Calen-
das Decemb. anni superioris: quibus ejus
Celsit. ACADEMIAM in NOVIILLIUS & splē-
didi COLLEGII possessionē, alumnos in
ejusdē usum clementissimè immisit: &
tum per ampliss. Dn. CANCELLARIVM
tum ppria voce & benigniss. sermonibus
omnem favorem Academię, & illi Colle-
gio, cui⁹ tūc encania, presente etiā & actū
illum cohonestante ILLVSTRISSIMO PRIN-
CIPE FRIDERICO, DOMINO NOSTRO
CLEMENTISSIMO celebrata sunt, obtulit.

O subitam & miserandam orbitatē no-
stram, qui tam repentè TANTO PRINCI-
PE, tam clemēte & benefico patrono or-
bati sumus! Illius vulneris acerbitatē ter-
tiâ die potiùs, quàm primâ sentiemus.

*Illud vulnus, quod Reipub. quod Ecclesiæ
 impressum est, TVA SOLA PIETAS,
 TVA CONSTANTIA, FRIDERICE
 ELECTOR, sanabit. Nos heu miseri mor-
 tales bona nostra non nisi amissa intelli-
 gimus! Nec omnia ego bona, quæ per il-
 lum Principem contingebant, enumera-
 vi: decerpsi illustriora quædam, aut de-
 libavi porius: nam & aliud est Historiam,
 aliud Orationem scribere.*

Nulla Palatinatum lucis invasit: nulla
 memorabilis annonæ caritas: nulla belli-
 ca, aliavé publica calamitas toto hoc octē-
 nio, quo ad Electorat^o gubernacula sedit,
 nos affecit, multò minùs confecit.

Et tamen, *Auditores, facile obtrectato-
 res invenit hominũ virtus: & malè de bonis
 Principib. loquuntur multi; sed mali: malis
 autem displicere, laudari est: & malè de nobis
 loquuntur, qui benè loqui nesciunt.* Fuit
 illius quidem mors multis improvisa:
 & obitum Electoris Saxonix laudatissi-
 mæ memoriæ statim consequuta est: *qui
 Elector in ipso flore ætatis, & tunc cum Ec-
 clesiis benefacere inciperet, ut de Ioviano,
 scribit Theodoritus, à nobis avulsus est.*

Responso
 ad objecta
 nē de mor-
 te subita:
 & de evē-
 tu qui nō
 semper re-
 spondet
 conatibus
 Principū.

Lib. 4.
 cap. 4.

Libri 4.
cap. 4. ad
Gal. præf.
de reme-
diis fortu-
itor.
Lib. de a-
gend. cura
pro mor-
tuis.

Ceterum, ut rectè monet Seneca. *Quicunq; ad extremum sui termini venit, senex moritur. Non enim refert, quæ sit hominis ætas, sed quæ sit meta. Et sæpè, inquit Augustinus, vocantur ante tempus boni, ne venientur à malis.*

Lib. 5. de
Civ. Dei
per totum
cap. 4.

Nec ideo infelices magni illi Principes judicandi sunt, quòd non semper optatis & conatibus eorum respondit eventus: siquidem, ut præclare idem Augustinus monet: *Nos Christianos Principes non in eo felices dicimus, quòd vel diu imperarint, vel imperâtes filios reliquerint, vel hostes omnes Repub. domuerint: vel inimicos cives adversus se insurgentes & cavere & opprimere potuerint. Hac & alia vitia hujus ærumnosa vel munera, vel solatia, quidã etiam cultores demonum acceperunt. Sed felices dicimus, si justi justa imperârint: si se homines esse meminerint, & inter obsequia honorantium & humiliter salutantium non se extulerint, si potestatem suam ad Dei cultum dilatan dũ famulari fecerint.*

In vita
Demetrii.

Interim, Auditores, inficias ire nolo verum esse illud Plutarchi: *Magnas & excellentes naturas, ut magnas virtutes, sic magna*

magna vitia ferre solere. Verissimum illud quoq; , *multis esse difficilius*, quod & in nostro Principe, & in magno illo Ludovico Borbonio observatum est, *prosperam, quam adversam ferre fortunam.* Dolendum præterea, summos sapè Principes, in Germania præsertim, Nestoreis annis dignos, *vitam per se brevem, intemperantiam, quam Fernelius Medicorū nutricem vocat, facere breviorē.* Major pars mortalium, inquit Seneca, *de vitæ brevitate conquiritur.* At qui non exiguum temporis habem? sed multum perdimus: non inopes vitæ, sed prodigi sumus per luxum & negligentiam: quemadmodum amplissima opes si ad prodigos perveniant, facile dissipantur.

Nævi etiã
in excellē-
tibus na-
turis.

Sed hîc, Deus bonè! quantum sæpenu-
merò ab iis peccatur, qui Principum aures
& animos obsident: qui vel blanditiis &
assentationibus Principes quasi lento ve-
neno inficiunt, vel *ἀπίστας* erga bonos, co-
rum animis instillant: vel ipsi eos ad mala
consilia & turpia facta instigant? Nec im-
meritò olim dixit quidam, *vel hoc nomine
miseriores esse Principes ceteris hominibus,
quòd rarò veritatem eis audire contingat.*
Quare id autem? Quia veritas odium

Præclarū
Ambrosii
dictum.

*parit: obsequium principes demulcet. Mihi
verò illud Ambrosii ad Theodosiū sem-
per valde placuit: Neg imperiale est, liber-
tatem dicendi negare: neg, sacerdotale, quod
non sentiat, dicere. Nihil in Sacerdote tam
periculosum apud Deū, tam turpe apud homi-
nes, quàm quod sentiat, nō liberè denunciare.*

Mors Du-
ci Casimi-
ro optata
fuit.

Ceterum, Auditores, video vos à me
expectare, quisnam exitus fuerit *Illustriss.*
illius *Principis*. Non illi certè planè im-
provisa, sed optata & expectata mors fuit.
Nam post tristē illum inprimis nunciū de
obitu Electoris Saxonie, cum quo arctissi-
ma ei necessitudo & fraternitas intercede-
bat, sæpè ab ejus Celsit, sicut à nonnullis
domesticis & aliis mihi est recitatū, exat-
ditæ sunt hæ voces: *Cupio & ego dissolvi, &
esse cum Christo: Quid ego morer in ter-
ris diutiùs, cum is subductus sit, quo socio
fidissimo & potentissimo Ecclesie & Pa-
triæ laboranti succurrere poteram? Dolor
ingens capitis pænè sine intermissione
totis his quinque mensibus eum exercebat.
Variæ curæ & quidem gravissimæ pectus
ejus toto hoc triennio exederant. Ideo de
deponenda sarcina Administrationis, &
de reditu*

de creditu in suam ditionē, & multūm cogitabat, & quotidie fermocinabatur. Nam & *locorum mutatio morbis longis utilis est*, inquit Plinius lib. 28. Sed eum Deus in longē beatiorē locum traducere constituerat, in quo ab omnibus hujus vitæ arumnis respiraret: & venit fortassis ineluctabile tempus, quo Palatinatū in gratitudinē ulcisci decrevit justis. ille vindex.

Quomodo ad mortē se Dux Casimir⁹ preparaverit.

Posteaquam igitur Illustrissimus noster Princeps die Natali Domini sacram Communionem à suis domesticis Cōcionatorib⁹ procul dubio benè preparat⁹, accessisset, & tum in arce manē, tum à prandio in civitate, atq; etiam Calēdis Ianuarii, quas, licet valetudinarius, cum aliqua hilaritate exegit, Concioni sacræ interfuisset: toto triduo ante mortem gravi⁹ ægrotare: pridie autem mortis, apoplectico paroxysmo percelli cœpit: paulò post, quàm hæc verba ex Psal. 38. *Domine ne in furore tuo arguas me*: sic in lectū composit⁹, die Epiphaniæ, sextâ hujus mensis, quæ dilectiss. ejus & unicæ filiæ Dorotheæ illustriss. virgini natalis erat, ipsi verò emortualis fuit, paulò post quintâ matutinâ in

Electoralis cubiculo placidè obdormiuit
 in conspectu & complexu carissimi nepo-
 tis, Illustrissimi nostri Electoris, & sororis
 inclytæ viduæ: beator hoc nomine ma-
 gnis illis Heroib⁹ & belli Ducibus, LVDO-
 VICO BORBONIO, CASPARO CO-
 LIGNIO GALLIÆ AMIRALIO, VVIL-
 HELMO PRINCIPE AVRAICO, &
 ipso DVCE CHRISTOPHORO fratre,
 & aliis, qui nostrâ memoriâ, violenta op-
 pressi morte fuerunt.

Altera
 pars orati-
 onis con-
 solat.

VERVM, Auditores, vereor, ne un-
 gues adferam dolori vestro, si in illo fu-
 nebri & lugubri argumêto immorer diu-
 tius. Præstat igitur, ut ad alteram partē
 hujus Orationis me conferam, & mala-
 gmata quæram communi dolori. Video,
 video, quid vos, quid nos, quid omnes bo-
 nos in omnibus Europæ pvinciis angat &
 sollicitet; Anceps & lubricum omniū re-
 rum novarum principium: Status ubiq;
 perturbatissimus & dubius: conspiratio
 Philisteorum & Idumeorum cōtra Israe-
 litas: Illustrissimi nostri Electoris ætas.

Esto autem, *abyssum malorum inclamare
 re abyssum: & omnes Dei fluctus, & undas
 super*

Super nos transire, ut loquitur David Psal. 42. Cur verò non illud quoq; ejusdē Psal. usurpemus? Quid desicis te anima mea? et quid perstrepis in me? Spera in Deo: nam adhuc celebraturus sum salutes, quas faciet coram me. Terra, inquit alibi Psaltes, contremiscit, & incolæ ejus. Sed ego, inquit Jehova, columnas ejus firmo & sustento. Cur non illam præclaram confessionem usurpemus, quæ extat Micheæ 7. Ego respiciam ad Dom. Deum meum, & præstolabor Deum salutis meæ: exaudiet me Deus meus. Ne leteris inimica mea de me. Si cecidi surgam: si sedeo in tenebris, Jehova illucescet mihi. Indignationem Jehovæ feram, quia peccavi in eum: usque dum disceptet causam meam, & in lucem me educat: ac respiciam inimicos meos, qui nunc mihi dicunt, ubi est Jehova Deus tuus? operientur pudore, & eos videbunt oculi mei conculcationi futuros, ut lutum platearum. Ut igitur monet B. Cyp. Funeris & tristis avulsio excedentium ex his terris, non sit tibi offendiculum; sed exercitium, & prælium: non debilitet aut frangat Christiani fidem: sed ostēdat in lucta virtutem. Consiētatio & constantia in adver-

Psal. 75,

v. 7. 8.

v. 9. 10.

Lib. de
Mortalitate.

sis, perfectio est virtutis. Nonne is vivit & regnat in cœlis, quem DEVS constituit CAPVT ECCLESIAE, & qui quotidie inimicos suos ponit scabellum pedum suorum? An brevior facta est Dei manus & omnipotentia? An non ille & per media & sine mediis, & per media cōtraria suis opitulari solet? Si constantes & cōcordes erim⁹: si ad Deum nostrū revertemur, nunquā certē evertemur.

Cicer. ad
Atticum.

Quanta
spes de E.
lectore
Friderico
III.

Et, ut cunq; res cadāt, quemadmodū bos armenta; sic viri cordati bonos & orthodoxos semper sequentur, etiam si ruant. Invenem nobis Deus dedit Principē, sed Fidei virtute veteranū, ut de Valentiniano scribit B. Ambro. Quam multi sunt heu etate grādes, sensu pueri, qui non tam regunt, & dominantur, quā serviūt suis mancipiis & voluptatib⁹. Magni equidē Principes a nobis recesserūt, FRIDERIC⁹ PIVS, ELECTOR: SVMMVS PRINCEPS LVDOVICVS ELECTOR: IOANNES CASIMIRVS, ELECTOR ATVS ADMINISTRATOR fortissimus: sed NON TOTI recesserunt: reliquerunt nobis nepotem & filium, qui AVI FRIDERICI in victam in vera pietate patientiā: PARENTIS ILLVSTRISSIMI LVDOVICI ELECTORIS religiosam munificen-

fcientiam: PATRVI CASIMIRICOMĒ *forti-*
rudinem imitari decrevit: suæq; virtutis &
 pietatis varia quotidie dat specimina: dū
 non cum securitate & præsumptione, ve-
 rùm cum lacrymis precibus ad Deū, id vo-
 lentibus Imperii statutis, id dudum optāte
 patruo, id statuente augusto consilio &
 Palatinatus procerib⁹, ad hanc DIGNITA-
 TEM ELECTORALEM an. ætatis XIX. ac-
 cessit: pro cuius salute & incolumitate ex-
 audire mihi jam videor piorum omnium
 gemitus per Germaniam, Galliam, Belgi-
 um, Angliam, ipsamq; Hesperiam.

Nec sunt audiendæ eorum voces, qui
 eum à PATRIS religione defecisse cla-
 mabunt, & ad illam revocandum esse
 contendent. Non enim verò defecit à
 religione PARENTIS OPTIMI: cu-
 jus religio scriptis Prophetis & Aposto-
 licis nitebatur: qui, dum vixit, non in
 Martinum, aut Iacobum, sed in Chri-
 stum credidit, & in eius invocatione ex-
 piravit. Illam in Christum Fidem, idem
 symbolum, eadem Fidei fundamenta Il-
 lustrissimus noster Elector constanter
 tuctur. Arrianos, Nestorianos Euty-

An Ele-
 ctor Frides-
 ric⁹ IIII.
 à parentis
 religione
 defecerit.

chianos, Anabaptisticos furores detestatur
 est pater: detestatur & toto corde filius: &
 in Schola, in Ecclesia solidè refutari curat.
 Sacramētarios errores, quorum sunt duo
 genera: eorum, qui ex Sacramentis Idola
 faciunt, & signa, ut rem signatam venerā-
 tur, nec Sacramentales locutiones agno-
 scunt: item eorum, qui pro nudis signis
 ea habent, detestatus est Pater: detestatur
 & Filius. Progrediar longius. Calvinismū
 & Zvinglianismum detestabatur Pater:
 detestaretur & Filius: si talis esset Chimæra,
 qualem RABVLÆ VBIQVITARIÆ ET
 FLACCIA NIFINGUNT: si scilicet vel veri-
 tas verborum Christi, vel eius Omnipot-
 tia, vel omnis Christi in terris præsentia
 negaretur.

Sed hoc nomine beatior est filius patre,
 quòd noster ELECTOR verè agnovit &
 deprehendit sub nomine Calvinismi *de-*
formari ab irrequietis & ambitiosis non-
 nullis Doctorculis per Germaniam, *Veri-*
tatem Religionis Catholicæ Orthodoxæ, pro
 qua tot martyres sanguinem fuderunt:
 quòd ipsum pcul dubio agnovisset OPTI-
 MUS ELECTOR LVDOVICVS, si eū
 Deus

Deus diutius superesse voluisset: quemadmodum illam fraudem agnoscere ante mortem cœperunt potentissimi duo Saxonix Electores, PATER AVGVSTVS, & FILIVS in primis CHRISTIANVS magnanimus, & magni iudicii Princeps, laude & memoria sempiterna dignissimus. DOCTORIS LVTHERI aurea scripta non minoris facit noster Elector, quàm pater laudatissimus: sed illos meritò pro stolidis habet, qui *sputum Lutheri*, quo in iracundia Helvetix Theologos aspersit, *pro necesse habent: ejus excrementa*, quæ illi aliquando, ut homini exciderunt, tanquàm *aurum & gemmas exosculantur.*

Bono igitur animo esto, FRIDERICE Apostrophe ad Electorem Fridericũ III. & vorum pro ejus Cels. Lib. Iosue cap. 1. v. 5. & 7. 8. Illustrissime Princeps Elector, & ad tuam quoq; Celsitudinẽ, illam Dei ad IOSVAM cõmonestationẽ pertinere statuito: *Quẽ admodum fui cum MOSE, ero tecum: non deseram te, neq; derelinquam te. Confirmare, & fortis esto, ut studiosẽ facias secundum leges tibi prescriptas: nec recedas ab eis dextrorsum: ut prosperè tibi omnia eveniant. Ne expavescito, neq; consternator: quia tecũ est IEHOVA Deus tuus, quocunq; i veris.*

Nos verò omnes (quod nominatim de
 nostra Academia spondeo) tuam juventu-
 tē non solum non aspernabimur, sed ve-
 nerabimur potius: & DE VM OPT. MAX.
 PER QVEM REGNANT, & *cujus nomine*
quo reddunt Principes terra, qui etiam in ore
infantium magnitudinem sui roboris nō
 minùs exerit, quàm in domandis inimi-
 cis suis, ardentibus votis indefinenter pre-
 cabimur, ut T. C. animi & corporis vires,
 ad tam arduum munus sufficientes, con-
 stantiam invictam, consilia salutaria, feli-
 cem denique ac diuturnam gubernatio-
 nem, gloriam atque laudem apud omnes
 bonos largiatur, Amen.

Dixi.



QUI ET ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI ET D.

IOANNICASIMIRO

P. M. FAMILIARIS FVIT,

ET HODIE ADHVC A NOBIS RE-

ſeufurpatur, ut contra tot potentes hoſtes ſuſtente-

Deus Eccleſiam, & nominatim Illuſtriſſimum

noſtrum Electorē, nec ſinat eum unquam

ulla periculorum magnitu-

dine frangi.

T. B. V.

1 **A**VREM Deus præbe roganti:
Audi miſerum & inopem precantē.

2 Hanc animulam Deus tuere,
Meritis tibi tuis ſacratam:
ſervata ſervulum hunc tuum, uno
Prorſus abs te pendulum.

3 Tu me Deus miſerare totas
Noctes diesque clamitantem.

4 Solare ſervulum repandis
Cum corde manibus ejulantem.

5 Tibique in tuos, Deus, benigno,
Mente tota ſupplicem.

6 Deus o tuum numen colentes
Reſpicere clemens aſſuete,
Audi rogantem, audi precantem.

- 7 Nam quem miser alium invocarem?
Ergo clamantem audias.
- 8 Deos, ut esse demus illa,
Quæ numina fabricant profani,
Quis se parem tibi jactitabit?
Quis illa tibi potente gesta
Assequetur dextera?
- 9 Ergo universi quot quot orbis
Colunt spatia populi, potente
Quos tu Deus manu creasti,
Tereveriti colent, tibi quæ
Gloriam canent, Deus.
- 10 O magne magnorum pratorator
11 Operum une, fac ipse, ut viarum
Peritus incedam tuarum,
Tenax quæ recti corde nusquam
Fluctuante te colam.
- 12 Te corde tunc celebrabo toto,
Domine Deus mi: & usque sanctum
Tuum canam nomen beatus:
- 13 Bonitate nempe tua sepulcri
Ex specu infimo erutus.
- 14 En mi Deus, ut in me superbi
Consisa robore turba multo
Necis avidi me eferuntur,
Tui, quod omnes intuetur,

Negligentes numinis.

15 *At tu, Domine Deus, es benignus,*

Fatentium haut asper reorum

Iudex, ad acres tardus iras.

Clementia plenus, dat aequè.

Vel semel fidei tenax.

16 *Tu me ergo clemens intuère,*

Tu servulum fulci ruentem,

Tu vernula fer opem roganti,

17 *Tu benevoli mihi favoris.*

Ede signa cælitus.

18 *Infestus ut, qui me laceßit*

Meum in caput juratus hostis,

Favere te mihi conspicatus,

Infamis abscedat, rubore

Tinctus ora lurido.



HABITA XIV.
 MARTII AN. XCIV.
 IN PROMOTIONE CVIVS-
 DAM DOCTORIS, QUI VBIQVITA-
 RIORUM INSTINCTU REMOTUS A MI-
 NISTERIO FUERAT: INQUA HABET
 QVAESTIO POTISSIMUM
 TRACTATUR:

DE VERO ET PERPETVO
 SENSU AVGVSTANÆ CONFES-
 SIONIS: ET VERIS EIUS
 SOCIIS.



I ullus est ordo, qui honores
 cum pompa aliqua, & mundi
 applausu conjunctos, vel raro
 adipisci soleat, vel parum
 concupiscere debeat: is certè est ORDO EC-
 CLESIASTICVS, eorum nimirum, qui
Deo magis, quàm hominib⁹ placere, et CHRIS-
TI DOMINI SVI vestigijs tanquam
veri discipuli insistere volunt. Neq; enim
est discipulus supra magistrum, neque hono-
rem illum, quem Aristoteles in Ethicis, maxi-
mum externorum bonorum facit, plusquàm
 alia

alia externa curant *Christi servi*, omnibus his externis utentes quidem, prout ea Dominus largitur, & *Ecclesie edificatio* postulat, parati interim semper Christo, à quo æternam gloriam expectant, *servire per gloriam & ignominiam, per convitia & laudes, ut loquitur noster Apostolus. Et ducuntur tamen sancti quoque viri sancta aliqua φιλοτιμία, imò ea sic uruntur, ut D. ipse Paulus prima Corinthiorum 9. in hæc verba erumpat: Bonum est mihi mori potius, quàm, ut gloriationem meam aliquis inane reddat:* que verba juxta *subjectã materiam* omninò sunt intelligenda, de ea nimirum *gloriatione*, quam contra *pseudo Apostolos* in Evangelii prædicatione habebat, *veritatem doctrinæ cælestis & omnem in ea docenda fidem retinere volens, morique paratus prius, quàm videri mercedis lucrivè privati causa, docendi munus subivisse.* Hanc gloriam maximè ambiunt omnes *veri Theologi, ut pericula adire, exilia subire, in mortẽ deniq; certam ire malint, quàm ut veritatẽ ad nutum hominũ inflectant temporig.*

poriq; potius, quàm Domino seruiant. Quod ad externos verò honores & huiusmodi pa-
negyres, qualis est hodierna, attinet, utun-
tur illis nostri ordinis homines suo tem-
pore & loco, gratisq; animis tum Dei erga
se favorem, tum laudatissimorum viro-
rū studia, & testimonia sibi reddita agno-
scunt & magni faciunt.

Sic nunc in promotione nostri Candi-
dati, duo sunt, quæ & facultatem Theo-
logicam & ipsum exhilarant, & in hac p-
matione à nobis, & ab ipso maximè spe-
ctantur: quorum *alterum ad Dei gloriam,*
alterum ad ordinem & εὐταξίαν facit. *Ad*
Dei gloriam, quòd nobis hodie in hac cele-
berrima corona gratulamur, honorem
adhuc haberi piis & innocentibus viris,
quos importunus rabularum livor aliun-
de extrudit; & ut loquitur David Psalmo
58. & 97. *fructum adhuc esse justo, eiq; in me-*
dis tenebris divini numinis favorem afful-
gere. *Ad ordinem & consuetudinem*
benè constitutarum scholarum facit, ut
ad docendi munus non admittantur, nisi
ii, qui publicum aliquod & solenne testi-
monium eruditionis & aptitudinis ad do-
cendum

cendum secum adferunt. Neque enim Candidatum nostrum, virum jam constantis ætatis, & in Ministerio verbi divini ultra septennium versatum ita titillat tituli alicujus amor, ut non eo carere maluerit, nisi ei jam Ministerio illo abire coacto, nova alibi vocatio ad professionem nimirum Theologicam, necessitatem petendi gradus imposuisset.

Favete igitur quotquot adestis ejus proposito, ejus honoribus, & favete eò impensius, quòd non minima ex parte scholarum nostrarum est alumnus, & omnibus bonis, ubicunq; vixit charus & acceptus semper fuit.

Verum antequam petiti honores Licentiæ & Doctoratus in Theologia ipsi conferantur: rem ego me nec intempestivam, nec huic coronæ ingratam facturum puto: si hanc quæstionem prius expedivero:

An sit fas ad summos hos honores aliquem promovere, qui dogma aliquod in Imperio non receptum amplectatur, & qui alibi exautoratus, aut à Ministerio abstinere sit jussus: quam quæstionem dum ego modestè, religiosè & breviter explicabo, ut benevolè

& patienter audire me velitis, oro atque obsecro.

Contra
Aux.
Arianum.

Fuit, fuit omninò tempus, Auditores, cum, ut piè scribit Hilarius Pictonum Episcopus, divina predicationi humana suffragia non quærentur, & ad tuendam CHRISTI Ecclesiam de seculari auctoritate, & presidio non multùm laboraretur. Oro vos (inquit Hilarius) Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad predicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus CHRISTVM predicaverunt, gentesque ferè omnes ex idolis ad Deum transulerunt? Anne aliquam sibi assumebant à palatio dignitatem? Nerone sese, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebantur, quorum in nos odii Confessio divina predicationis effloruit, &c.

Agnovit ergo Ecclesia Apostolica, cui, tit, legimus Actorum ultimo, D. Pauli temporibus ubique contradicebatur, unicum in religionis causa Imperatorem, & DOMINVM CHRISTVM.
Agnos

Agnoverunt & professi sunt idem alii quoque seculis heroici viri, ut *E V L O G I V S ille, vir egregius & fidus C H R I S T I confessor*, quem cum praefectus Imperatoris Valentis, Modestus, referente Theodorito, libro quarto historiae Ecclesiasticae, licet haut modestè, moneret, ut in Religione cum Imperatore se jungeret, *Num ille, inquit, unà cum Imperio Pontificatum est adeptus?* Sic nostrate, aut saltem patrum nostrorum memoria *L V T H E R V S* cum admoneretur, ne Caesaris & Imperii decreta violaret, aut Regnum Romanum turbaret, saepè respondit: *D O M I N V M I E S V M V E L L E Q V O Q V E R E G N V M S V V M I M P E R T V R B A T V M H A B E R E: E T I N R E L I G I O N I S N E G O T I O S O L A M S C R I P T V R A M S A C R A M I M P E R A T R I C E M E S S E.* Non dissimilia in magno illo & celebri Imperii convètu anno 66. Augustae Vindelicorum in pleno omniù procerum confessu respondit *F R I D E R I C V S ille P I V S E L E C T O R P A L A T I N V S L A V D A T I S S. M E M O R I A, &*

Circa capitulum 18. initium.

ria, & hoc quidem inter alia: CVM DE CONSCIENTIA, vel de vita, aut morte eterna agatur: sibi respiciendum, non, quid alii credant, aut sentiant, sed quid Deus iubeat, quidvé conscientia dicet & statuat: atq; id omne se coram augustissimo Dei tribunali tueri posse, palàm constanti quadam gravitate asseverare non dubitavit.

Et certè procul faceffere debet eorum sententia, quos venustè Cyprianus in Epistolis, *incipites temporum palpatores* vocat, qui Coelii illud consilium in epistola quadam ad Ciceronem amplectendum sibi putant; *Rebus pacatis honestissimam partem sequendam: ubi ad bellum, aut pericula vetum est: firmiorem.*

Longè meliùs sensit Cicero ad Att. sic-
 VT BOS *armenta*, inquit: *sic ego bonos viros, aut eos, quicūq; dicentur boni, sequar, etiam si ruant.* Ut igitur optabile est, & felix omninò illud tempus, quando per pios Imperatores, & alios Imperii Ordines, tanquam per Patres nutritios fovetur Ecclesia, & ad Religionem propagandam pii Imperatores sua studia cum piis Episcopis conjungūt: qualia tempora describit Sotomenus

zomenus: ita non statim sequitur, do- Lib. 3.
 gna aliquod impium esse, quod ab Im- cap. 10.
 perii Ordinibus improbetur: aut in ali-
 qua pvincia, vel civitate damnetur: modò
Apostolica, Catholica & Orthodoxa Ecclesie
 probetur, cum qua piæ mentes cōsensum
 quærunt, solamq; Propheticæ & Aposto-
 licæ doctrinæ veritatē, fidei ac Religionis
 normam agnoscunt.

Verùm ut ad nostrā hypothesin rever-
 tamur, asserimus, & liquidò, ut spero, de-
 monstrabimus, nobis, non cum *laudatiss-*
simis Ordinib⁹ Imperii Evangelicis, multò
 minùs cum *Ecclesia*: sed cum *Rabulis* ali-
 quot *Ecclesie* in Germania *violenter do-*
minantibus esse dissidium, eosq; qui hodie
 sub *odioso Calvinistarum nomine* traducū-
 tur, & in nonnullis locis exautorantur, &
 à suis gregibus arcentur, veram & incorru-
 ptam doctrinam *Augustanae Confessionis, &*
consensum Ecclesie Catholicae & Orthodoxe
 de ipsis capitibus controversis retinere, à
 quo turpiter defecerūt illi ipsi, qui hodie tam
 impotenter in aliquot saltem Germaniæ an-
 gulis nobis insultant, et suos magistrat⁹ non
 secus contra nos instigant, ac Pharisei, q̄ cūm

*nihil minùs quàm Mosis doctrinam retine-
rent summi Legis Mosaica Zelota & sectato-
res videri volebant.*

Clamant igitur *Rabule*, & in iis locis in
quibus regnât, hujusmodi *seditiosis clamori-*
b⁹ aures populi complent, eos quos Calvi-
nistas odiosè vocant, p̄scriptione dignos,
imò iis igne & aqua interdendum.

QVÆ VERO CAUSA TANTÆ indignati-
onis, & tam gravis decreti? Hæc una vide-
licet, quòd non p̄fiteantur, nec amplectân-
tur verū sensum & consensum Augustanæ
Confess. cui etiam an. 30. in Comitiiis sub-
scribere recusârunt: ideo non Imperii pace
frui, non in aliquo tolerari Ministerio de-
bere. AT QVI & ante scriptam Augustanam
Confess. multi & cum Deo, & cū Imperio pa-
cē habuerunt: & Apostolicā Confess. retinēt
multi, & usq. ad sanguinē pro ea dimicāt, qui
August. Cōfess. nunquā viderunt: & nō pauci
Principes, non paucæ Respub. in ipsa Ger-
mania peculiare suas confess. & Agendas
habent. *Valdensium fratrum* confessionem
p̄bavit, & in lucem edi curavit D. LVTHE-
RVS. ILLVSTRISSIMVS VERO, ET LAV-
DATAE MEMORIÆ PRINCEPS CHRISTO-
PHORVS DVX VVIRTEMBERGIC⁹ an. 51.
confessionē edidit, ut in ipso cōcilio Tri-

dent. exhiberetur, in qua dogma Pontifici-
cū Missæ & Transsubstant. quod in primā
confess. August. & Apol. irrepserat, refu-
tatur, & dictum illud Christi, H O C E S T
CORPVS MEVM, cum illo dicto Ezechielis
ca. 5. confertur, quando de pictura urbis
Hierosol. in latere delineatæ dicitur I S T A
E S T H I E R V S A L E M, &c.

De AVGVST. porro CONFESS. semper
& majores nostri & Ecclesiæ nostræ respō-
derunt, in omnib⁹ eam capitib⁹ pbari, quæ
tum contra Hæreses, tum cōtra idoloma-
nias & superstition. Pōtificias directā sunt.
Vbi verò prima illa Confessio & Apol. in
sūmo metu & inter sūma illa picula obla-
ta Pōtificiis nimis cōcedere, atq; etiam ap-
tè ipsam Transsubstant. ex Theophyl. ver-
bis agnoscere videbatur, in eo tantum se
majores nostri sejunxerunt, q̄ nimirū fer-
mentū Pontifici. redolebat, donec Confess.
illā ex cōsensu & voluntate Evangelicorū
Ordinū, vivēte ipso Luthero recognovit,
& sublati ambiguis & piculosis phrasib⁹
elariū locut⁹ est, taliaq; fundamēta posuit
autor, quæ tū Pontific. *Transsubstant.* tum
Flacianorū & Ubiquitist. Consub. mani-
festè evertūt. Editæ autē sunt illæ declarat. &

De Augu-
stana Cō-
fessione.

asperiorum vocum mitigationes, an. 31.
 Deinde anno 41. in denuò recognito exē-
 plari Augustanæ Confessionis, quod non
 à Philippo solo, sed ab omnibus Ordini-
 bus Evangelicis in Comitibus tam Vormat-
 iæ, quàm Ratisbonæ exhibitum fuit; itē
 in *Repetitione Augustanæ Confessionis*, quæ
 aliàs Confessio Saxoniarum Ecclesiarū
 vocatur, & à plerisq; Theologis illis tem-
 poribus approbata & subscripta fuit: illos
 libros pro suarum Ecclesiarum & schola-
 rum confessione agnoverunt & habuerūt
 Principes pleriq; , & alii Ordines in *cōven-
 tu Naumburgico* anno 61. Condemnatio-
 nes personales eorum, quos Zvinglianos
 vocant, licet id maximè urgerent Flacia-
 ni, detrectarunt & Theologi & Principes,
 tum Francofurti anno 56. tum Vormatiæ
 anno 57. atq; etiam Naumburgi anno 61.
 Si quæ Zvingliani dogmatis odiosior ali-
 quādo facta mentio est: factum id cū hac
 hypothese, qui docent Sacramenta nuda
 esse signa: item, Sacramenta esse tantū
 notas externas professionis: à quo Zvin-
 glianismo imaginario, vel potius à quo
 errore se toto pectore abhorrere ii ipsi se-
 per

per testati sunt, qui sub Zvinglianorum & Calvinistarum nomine à multis traduntur.

Fundamēta nostræ doctrinæ de Cœna, quæ extant in publicis illis scriptis, confessione Augustana, & declarationibus Principum & Ordinum Imperii, quibus tum *μετ' ὅσῃ* Pōtificia, tum *συνὸς ἅ* Flaciana & Vbiquitaria, nec non & oralis manducatio Corporis Christi labefactantur, hæc sunt: *Sacramenta esse signa gratiæ, ad excitandam fidem: In eis duo esse: signum, & promissionem gratiæ additam signo. Signa esse res visibiles externas & picturas: Cum his solis societatem habere hypocritas, non cum bonis ipsis: promissionem, requirere fidem: hæc demum rem promissam percipi.* Præsentia Christi in pane nulla in illis cōfessionibus fit mentio; sicut nec oralis manducationis corporis Christi: imò cōstanter asserunt, publica illa scripta, Christum adesse propter hominū, non propter panē, & in ipsa Apologia Augustanæ confessionis præsentia Christi in Cœna ex Ioan. 15. & Cyrilli interpretatione definitur, non secundum omnipræsentiam Vbiqui-

tariam: Sed secundum specialem illum modum, secundum quem Christus vitis est, nosque et ut palmites adheremus, ac vitam ab eo haurimus. Item in Repetitione Augustanæ Confessionis ex Hilario: *Hæc sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, & nos in illo.* Item in Apologia: *extra usum legitimum nihil percipi de re Sacramenti: Ad usum requiri fidem, & præcipuum in Cæna, esse & ὡς μὲν ὅτι Christi, qua verè agnoscimus & sentimus nos esse membra ipsius, nec non beneficiorum ejusdem participes.*

HÆC fuit perpetua explicatio August. Confess. de re sacramentaria planè cōsentiens cum iis, quæ à reliquis reformatis Ecclesiis magno consensu de Sacramentis traduntur. Hæc doctrina in publicis Imperii conventibus temporibus etiã maximè dubiis constanter à Theologis Ordinū Evangelicorū pposita & retenta fuit. Quare non moramur, nec admodum curam quod *Flacianii, Vbiqtarii et similes irregeti homines* hinc inde contra Orthodoxos obganniant, aut declamēt. Et certè diffidentes, cause sue, *Vbiqtarii*, & nec in verbis Institut. nec in Augustana Confess. præsidium firmum suis erroribus reperientes, post mortem statim

DOMINI PHILIPPI SUMMI AVGVST. CONFESS. ASSERTORIS. *dogma novū de omnipresentia corporis Christi* FABRICARI COEPE-
RVNT, palàm affirmātes, ut Brenti⁹ in Re-
cognitione an. 64. Lucas Osiāder in serm.
de Cœna an. 77. magicū aliqd esse, si ppter
verba Institut. non autem ppter Vnionē
Personalē adesse in Cœna corp⁹ Christi cre-
datur: Et posse aliquē citò fieri Zvinglia-
num, qui verbis tantū Institut. nitatur,
non autē unionis personalis virtute corp⁹
ubiq; existere credat. Illud porrò dogma
Vbiquitatis non solūm extere omnes, ve-
rūm etiam multæ per Germaniā Ecclesię,
atq; ad cō Chemnitius ipse, & Selneccerus
an. 61. in publicis scriptis repudiarunt, nec
non & Pontificii, qui dogma Vbiquitariū
& veteris Ecclesię symbolis, & ipsi August.
Confess. adversari agnoverūt. Nam, ut p-
clare Vigili⁹ contra Eutyech. ex Chalcedo-
nensis Synodi sententiā scribit: *Vna natura,*
diversa hæc non recipit, ut sit ubiq; simul &
loco circūscribatur. Vnus Dei filius, idēq; homo
circumscribitur loco per naturam carnis suæ:
loco non capitur per naturam suæ Divinita-
tis. Hæc est fides & Confessio Catholica,
quam Apostoli tradiderūt: martyres roborā-

runt, & fideles, inquit, nunc usq; custodiūt.

Cur igitur jam, & quo jure norma sit
& *νεστῆσιον* Augustanæ Confess. & ei⁹ fidei,
quam ordines Evangelici in Comitibus p-
fessi sunt, *liber Concordiæ Bergensis à Flaci-*
anis & Ubiquitariis juratis hostibus PHILIP-
PI MELANTHONIS, AVTORIS ET
SUMMI DEFENSORIS Augustanæ Cō-
fessionis, conflatus, mirisq; fraudibus ali-
quot Ordinibus obtrusus: Liber in quo
evidens facta est defectio à doctrina Sym-
bolorum & Confessionis Augustanæ de
persona Christi: item de Sacramentis,
quandoquidē Ubiquitarii litigant de præ-
sentia in pane, de orali manducatione, &
hujusmodi aliis absurdis Theologicis,
quæ non ex Scripturis, nec verbis Augustana
Confessionis: sed ex Polemicis & secū
pugnantibus Lutheri scriptis probare co-
nātur? Nonné ante annos 14. pleriq; ordi-
nes contra illū librū excepere? Nonné ii,
qui subscripserunt magna ex parte nō *sim-*
pliciter, sed *cum conditione* subscripserunt?
Nonné ab illa subscriptione, & ab illa Cō-
cordia, quod se circumventos fuisse anim-
adverterent, desecerunt laudatissimi ali-
quot

Discordis
Concor-
diæ Bergē-
sis, Machi-
i à fabri-
lis, & pan-
dora.

quot Germaniæ Principes: Theologi etiam complures, qui subscriptionem suam retractarūt? Nonne verè *turris Babele* va-
fit ille liber, quandoquidem *ipsimet autho-*
res & assertores vulpecularum Samsonis in-
star candis juncti, toto corpore & corde dis-
juncti & distracti sunt, dum alii nullam
 ubiuitatem Corporis Christi: *generalem*
 alii, alii *restrictam* tuentur? De *Prædesti-*
natione nonnulli nobiscum ferè, vel po-
 tiùs cum D. Paulo, Augustino & Luthero
 sentiunt, aut saltem sensisse videntur: alii
 mediam aliquam viam cum multis con-
 tradictionibus insistant: *alii, veluti Hube-*
rus electionem sanctorum, & reprobationem
eorum, qui vasa sunt iræ, non admittunt. Et
 hi sc: homines, in quibus vix ulla scin-
 tilla veræ pietatis micat, inter quos tot
 sunt contradictiones, in quibus ambitio
 & calumniandi libido dominantur, tan-
 quam novi dictatores Ecclesiæ Orthodo-
 xæ leges præscribent, nosq; docebūt, quæ-
 nam sit fidei confessio ab Apostolis tradi-
 ta & à nostris majoribus inter tot pericula
 in variis Imperii Comitibus defensa & feli-
 citer propagata! Eorum enim verò minas,

anathemata, exautorationes parùm ino-
ramur: Imò sunt nobis illi cò gratiores,
qui talibus hominibus sunt invisì & ab
eis exautorantur. Et nos hæcenus bona
conscientia, & juxta fidem, quam Ecclesiæ
& Scholæ debemus, iis libenter summos
honores contulimus, non qui cõtention-
forum aliquot & schismaticorum homi-
nū fidem amplecterentur: Sed q̄ modestia
& morum integritate præditi consensum
cū Catholica Evangelica & Apostolica Ec-
clesia retinerent, eamq̄ fidem amplecte-
rentur, quam tot Martyres suo sanguine
obsignarunt, & nostri pii majores in Co-
mitiis Imperii per **SELECTISSIMA DEI**
ORGANA, VIROSQUE HEROICOS,
PHILIPPVM, BVCERVVM ET ALIOS
asseruerunt & assertam nobis reliquerunt.
*Nec semper manebit tremefacta libertas, nec
durabit semper hora & potestas tenebrarum.*
Actum, actum est, inquit Cyprianus, *de*
dignitate Ecclesia, nec Christiani ultra per-
manere possumus, si ad hoc vêtum est, ut im-
pborum minas & insidias pertimescam⁹: neq̄
nobis (inquit idem) ignominia est pati à fra-
tribus, quod passus est Christus, nec illis glo-
ria est,

Epist. ad
Corn.

via est, facere quod fecit Iudas. Vidi impius exaltatum, & extolli supra cedros Libani, ut loquitur David, & transivi, & ecce non erat: quasi vii eum, & non est inventus. Psal. 37. v. 35. 26.

Postularet illud argumentum longiorē fortasse orationem: verūm illa pauca intelligentib⁹ sufficiūt, & sufficiūt huic nostro instituto. Cū itaq; demonstratū sit, nos tales omninò ad hos honores admittere, qui & illis digni sint, & cum hæresibus & schismatibus nihil cōmune habeāt: ecce pducimus & celeberrimæ huic coronæ sistimus hūc nostrum Candidatū omni genere doctrine, in primis verò mysteriis pietatis Evangelicę, p̄bè imbutū, nec non in praxi & gubernatione Ecclesiæ benè exercitatum, cui vocatio nova ad professionem Theologicam necessitatē petendi gradus imposuit, &c.



DE DIVO PA-
 LO APOSTOLO, HA-
 BITA V. IULII ANNO

CL^o ID^o XCIV. IN PROMOTIONE

DUORUM LICENTIATO-
 RUM THEOLOGIAE.



NUNQUAM ego ad anni-
 versarias has panegyres acce-
 do: nunquam hunc lectissi-
 mae juventutis studiosae florē,
 florentissimosq; & ornatissimos nostros
 candidatos, quibus debiti virtuti, & erudi-
 tioni honores in solenni corona tribuū-
 tur, contueor, quin recorder & mecum
 cogitem, quantum sit bonum, & quā
 plerisque incognitum, nunquamq; satis
 praedicatum, *alma & candida pax SVB*
PIIS PRINCIPIBVS, ECCLESIA-
RVM ET SCHOLARVM NVTRITIIS:
Quam rursus sit misera eorum sors, inter
quos viget armorum rabies, ferriq; potestas,
confundit ius omne manu: Nobilitas cum
plebe perit, lateq; vagatur Ensis, & à nullo
revocatur pectore ferrum (sicut de bellis ci-
 vilibus Romanorum scribit Lucan.) ubi
 deniq;

deniq; & studia iacent, & silēt leges, quem-
 admodum his jam non paucis annis in
 Gallia nominatim accidit, quæ præter tot
 nobiles Academias celeberrimā illam ac
 verè studiorū matrem habuit Parisiensem A-
 cademiam, quam olim tam populosam, &
 non minùs triginta splendidissimis collegiis
 studiosa juventute refertis inclytam vidim⁹,
 nunc totis his novem annis desertam, horri-
 dam, & squalidam fuisse scimus, conticen-
 tibus omnibus Musis, clangore armorum
 infestorum omnia complente, & quam, veri-
 simile est, multis annis sese vix utcunque
 recollecturam. Ita sanè efferatos homi-
 num mores diuturna bella civilia reddi-
 derunt, & quod fidos doctores percipere
 oportebat, vel importuni aulici, vel bar-
 bari milites intercipiunt, qui se solos jam
 primos rerum omnium esse putant: &
 quibus audacia pro muro: consuetudo violē-
 ter ad se omnia rapiendi, pro lege est. Agam⁹
 itaq; Deo Optimo Maximo cum magno
 illo Vate Davide gratias, novumq; canticū
 canamus, quòd dat salutem Principibus no- Pfal. 144.
 stris, & nos eruit è gladio noxio, quòd hos fi- v. 9. 10.
 lios nostros, studiosos inquam adolescentes

plantarum amœnissimarum instar adolescere & feliciter efflorescere patitur, & nulla hostilis irruptio fit in has regiones, nullus horrificus clamor in plateis nostris exauditur.

*Felicem ô populum tali qui sorte beatus
Tâmpacidum numen senserit esse sibi.*

Ceterum quia postulat hic celeberrim^{us} act^{us}, ut & decorum sit ejus initium, & argumentum aliq^{ue} tractetur ad institutum præiens accommodatum: rem non alienam, nec huic coronæ ingratam, me facturum esse putavi, si antequam ad ritus illos inaugurales progrediamur, de APOSTOLO ILLO GENTIVM, ET SUMMO THEOLOGO D. PALVO, à pueris, in Scholis tum humanarum literarum, tum Theologiæ enutrito verba fecero: quia ejus vita ob varietatē historiæ multa habet memorabilia, & ille meritò non solum studiosis Theologiæ, verum etiã ejusdem Licentiatis & Doctorib^{us} perpetuus typus esse debet fidelissim^{us} & fortiss^{imus}. in Ecclesia doctoris, qui constantissim^{us} gratiæ prædicator fuit atq^{ue}, idē idoneus juris divini consultus, ut de eo loquitur August. Habent (inqt) causidici suum quoq^{ue} Paulum,

De verb.
Domini
secundum
Ioan. ser.
63.

Paulū, diēt ante jura litigantiū. Recito Paulū diēt ante pacis jura, nō litis: Paulum recito idoneum juris divini consultum, &c.

Habuit tamē, auditores, (quod pace Augusti. Paulus iur-reconsultus. dixerim) Iulio ille ipse PAVLVSPATAVINVS, quem jurisconsulti propter doctrinæ excellentiam jureconsultorum Coryphæū appellare solent, suam quoq; laudem: qui sapientissimo & gravissimo jureconsulto PAPINIANO præceptore usus, ei postea assessor in consiliis extitit, & gradatim per præturā & consulatū ad Prætorii præfecturam, summum tunc à Principe locū pervenit: Vlpiano, quidem, honore & doctrina par, ut scribunt Rutilius & HOTOMANNVS de vitis jurisconsultorum veterum: sed numero scriptorum superior. Nec dubito quin ita fuerit comparatus, quemadmodum Servius ille Sulpitius Iureconsultus, quem Cicero Philippica nona scribit, *non magis Iurisconsultū, quàm Iustitiæ fuisse, ad facilitatē & aequitatē omnia contulisse, neq; constituere litiū actiones maluisse, quàm controversias tollere.*

Verū ad PAVLVMNOSTRVM revertor, cujus nec vitæ curriculum, imò

Verùm ad P A V L V M N O S T R V M revertor, cuius nec vitæ curriculum, imò ne peregrinationes quidem, una completi oratione possumus, *cum is omnia Evangelio Christi à Hierosolyma ad Illyricum usque impleverit*, ut ipsemet scribit Rom. 15. Nos autem præcipua quadam & maximè axiologa decerpemus, operam daturi, ne vel in minutis rebus tempus terram, quemadmodum fecisse videtur Chrysostomus in octo illis homiliis de laudibus Pauli, quæ tomo tertio extant: vel aliis collegis honorandis, quibus ex hoc loco dicendum est, locum præripiamus.

Habuit certè P A V L V S sua quoque secundum carnem, ut ipsemet loquitur Philip. 3. id est, secundum externa illa que mundus miratur, summa ornamenta, ut pote qui ex tribu regia Benjamin, & ex nobilissima illa Israëlitarum gente ortus, in urbe Tarso natus, à pueritia sub magni nominis viris, G A M A L I E L E in primis Hierosolymis institutus, professione postea Phariseus, & exactus legum patriarum observator fuit. Sed illa omnia, quæ conversio

versionem ejus præcesserunt, tantum abest, ut magni æstimanda putaverit, ut ea potius *damnosa duxerit præ Christi cognitione, qua sola hominem beari, Deoq; acceptũ reddi* postea agnovit, & de ea sola usq; ad *extremum Spiritum gloriatus est.* Philip. 3.

Quod autem adolescens, ut Actorum 7. & 8. legitur, cruentæ cædis Stephani spectator, & approbator fuit, & postea ad Christi Ecclesiam vastandam operam suam accommodavit, id quidem ejus emuli ad eum prægravandum invidiã, & ministerium ipsius vellicandum arripiebant: & ingenuè is quoq; fatetur, si illius temporis & vitæ ratio habeatur, *se miserũ quasi abortivum, & indignum, qui Apostolus vocetur, ac interim Deum ipsius misertum, & in eo singulare exemplar summæ suæ ac gratuita clementiæ peccatoribus proponere voluisse:* ut miseri peccatores, modo convertantur, & credant in Christum, animum non despondeant. 1. Cor. 15. 1. Tim. 3.

Factus ille igitur est ex SAVLO PAVLVS, ex hoste fidißimus Christi servus, ex lupo crudeli ovicula, ex persecutore pastor Ecclesiæ, id autem non ob nomen mutatũ,

sed beneficio regenerationis cœlestis, & secundæ nativitatis adeptus est: de qua sic quoq; Cyprianus epistola ad Donatum: *Postquam desuper sese lumen in pectus meum infudit, & me in novum hominem nativitas secunda reparavit, mirum in modum patere clausa, lucere tenebrosa, & vitæ prioris tede- se me cæpit.*

At contra, Auditores, Pontifices Romani, qui in sua vocatione nomen mutare solent, ut ostendatur (inquit glossa magistra in rubrica sexti decretaliû in verbis Bonifacii) ad permutationem nominis, factam mutationem hominis: Facti Pontifices, deteriores & crudeliores evadunt, acerbissimiq; ejus fidei, quam olim Romanis tradidit Paulus, persecutores, ita, ut quædam rabulam Pontificium nostro seculo non puduerit, pio cuidam martyri, qui ad supplicium rapiebatur, & D. Pauli dicta allegabat, respondere: Nisi id obtinisset Ecclesiæ consuetudo, ut pro canonicis haberentur epistolæ Pauli, se illas pro hæreticis habiturum: quemadmodum & Romæ de doctore quodam Joanne Motalcino supplicium capitis sumtû fuit

fuit, quòd D. Pauli epistolas Bononiæ paulò sincerius aliis monachis interpretaretur.

Verùm, ut ad nostrum institutũ redeamus, August. non uno in loco, inprimis verò lib. I. ad Bonifac. contra 2. epist. Pelagianorũ monet, *mirabilem illam & repentinã D. Pauli conversionem, satis testatũ facere, nos non ob merita, bonæ alicujus voluntatis, præcedentia, gratiã adipisci, sed excitari nos & trahi, motu tamẽ non violento: etiã eum aversissemus. Dic mihi, inquit, obsecro, quid boni Pauli adhuc Saulus volebat, ac nõ potius magna mala, quando spirans cædem pergebat ad persecuẽdos horrẽda cæcitate Christianos? Quibus meritis bonæ voluntatis Deus illum ab his malis ad bona convertit?*

Nõnẽ, ut ipse clamat, *sola gratia, non autẽ* Tit. 3.
ex operibus justitiæ quæ fecisset? Habuit ergo & vocatio ejus, quæ per specialẽ ac extraordinariã visionem ex ipsis cœlis facta Actor. 9.
est, ut legimus in Actis aliqd planè stupendum & mirandũ, & totius ejus ministerii cursus mirandũ quoq; successũ: quò mi-

nus mirum videri debet, eum cōtra æmulos & pseudapostolos in Domino gloriarī, se plus quàm alios laborasse, non solum, quia Evangelium latiùs sparsit, pluresq; reliquis omnibus & Ecclesias plantavit, & plantatas variis scriptis epistolis irrigavit: verum etiam acerbissimis eorum odiis expositus, & cum summis difficultatibus sæpe conflictatus, varias quoq; & longas peregrinationes subivit.

Quotiescunq; autem sive propter Dei gloriam, sive ad conciliandam, non tam sibi, quàm suo ministerio autoritatem, opus fuit: vocationis suæ dignitatem his tribus argumentis potissimùm defendit.

Primum, à vocatione illa cœlitus facta, cùm Damascum proficisceretur. *Deinde*

à consensu & approbatione Apostolorum. *Tertiò* ab effectis sui Ministerii: quẽadmodum ipse: *Non egemus, inquit, cõmendatitias epistolis, vos estis epistola nostra in scripta cordibꝰ, & sigillum Apostolorum nostri.* Et, Thessal. 2.

Vos nostis, ingressum nostrum ad vos non fuisse vanum, & licet afflicti fuissetis & contumeliis affecti Philippis, quanta libertate usi simus ad annunciandum Evangelium

apud

2. Cor. 3.

1. Cor. 9.

7. 1. 2. 3. 4.

apud vos cum multo certamine. Exhortatio enim nostra nõ fuit ex impostura, nec ex impuirtate, neq; cum dolo: sed ita loqmur, non, ut hominib⁹ placētes, sed Deo, q; ap; pbat corda nostra. Deniq; ut idem Apostol⁹ scribit, Rō. v. 17. 18. 15. Habeo q; glorier per Christum Iesum in iis quæ ad Deum pertinent. Non enim sustinuerim quidquã loqui, quod non effecerit Christus per me, adducendis ad obedientiam fidei gentibus, verbis & factis. Et 2. Cor. 1. Gloriatio nostra hæc est, testimonium videlicet conscientie nostræ, quòd cum simplicitate, & sinceritate Dei, non cum sapientia carnali, sed cum gratia Dei versati sumus in mundo.

Putida autem calumnia, aut blasphemia potius fuit impii illius Porphyrii qui (ut scribit Augustinus epistola II.) D. Paulum ambitiosum fuisse, & in invidiam virtutum Petri exarsisse, ideoq; in illam cum ipso disceptationē incidisse, quæ in epistola ad Gal. cap. 2. recensetur. Nam quid Apostolo nostro mitius? quid tolerantius? qui in rebus adiaphoris, aut cum fides non periclitaretur, omnibus factus est omnia: infirmus infirmis: Iudæis tanquam Iudæus: denique cum liber esset omnibus seipsum servum fecit, ut plures lucrifaceret.

QVOD VERÒ PETRO in faciem restitit, ejus rei *quatuor* habuit *gravissimas causas*. 1. Quia Petr⁹ sine ulla necessitate, inani percussus metu, aliqua dissimulatione utebatur. 2. Suo exēplo multos in errore confirmabat, nō recto pede incedēs, in veritate Evangelii. 3. Infirmas gentiliū conscientias lædebat. 4. Doctrinā de libertate Evangelii in discrimē adducebat. Quapropter, ut rectè scribit Hesiod⁹, ἀγαθὸν δ' ἐστὶν ἴδεν ἑσπέρῳ τοῖσι, *illa nimirū bona est cōcertatio & emulatio*, ut Plinius Secund⁹ interpretatur: *qua viri docti vel amici mutuis exhortationibus ad amorem virtutis sese stimulant & exacuunt.*

In calce
Epist. ad
Caniniū,
7. lib. 3.

Magna porrò est multumq; inter Pontificios vexata quæstio: *An Paulus Petro dignitate par fuerit.* Et fatetur Frater Sixtus in Bibliotheca sacra lib. 6. Chrysoptomū, Hieronymū, & alios plerosq; patres discretè scribere, orbis prædicationē & conversionem, cunctaq; mysteria D. Paulo commendata, & *Apostolos parus meriti & dignitatis fuisse.* Tandem, ut primatum Petri tuncatur, *distinctionē excogitat monach⁹ planè monasticam & nugatoriam: triplicem sc. in Petro fuisse potestatem: Ordinis: Apostolat⁹:*

Nugæ
monasti.

& Regni: juxta duas priores, pares fuisse omnes Apostolos, juxta tertiam, quæ est Regni, Petrum caput Ecclesiæ constitutū, & eminentiâ ceteros Apostolos anteire.

Sed quid illud est, nisi *principium petere?* aut *ἡγεμονία* *ἑστίν*, cū illā regiam potestātē, tantū abest, ut alicui Apostolo concefferit Christ⁹, ut disertè poti⁹ phibuerit, Luc. 22. V. 25. 26.

Reges gentiū dominantur: vos autē non sic. Et, *quomodo caput suū agnovisset Petrum is, qui Petro in faciē restitit?* Qui nihil ab eo didicit: sed soli Christo cognitionē veritatis acceptā semper tulit? Quid verò illi de Ioan. summo Apost. & Theol. dicent, q, ut diutissimè omnium vixit, ita tempora LINI, quem Pontificii, Petri successorē faciunt, facilè contingere potuit. ERGONE LINVS IOANN. APOSTOLI PAPA ET CAPVT FVIT, eoq; eminentior, Ioan. inq;, *qui intimus Christi Apostolus, & inter Apostolos præcipua semper authoritatis fuit*, qui quæ DIVINVM ILLVD EVANGELIVM nobis conscripsit? Faceffant ergo nugæ illæ: faceffant somnia monachorum.

Ceterū non dubito, auditores, quin inter alia à me in hac oratione expectetis,

2. Cor. 12. *ut de tertio illo cælo, in quod D. Paulus raptus dicitur, & de angelo Sathana ipsum colaphis cadente, sententiam nostram vel Ecclesiæ potius aperiamus.*

Quod ad raptum illum in tertium cælum attinet, de quo modestè, & in tertia persona loquitur: *Novi hominem in Christo ante annos 14.*: id nonnulli de prima illa apparitione Christi, cùm iret Damascum ad persequendos Christianos, de qua Act. 9. & 22. intelligunt. Alii, qui seriem annorum diligentius examinant, hanc deprehendunt in ipso cursu prædicationis, cùm jam annis decem docuisset, ei fuisse oblatam. *Per tertium cælum*, non dubiū est, quin intelligat cælū, quod alibi Scriptura cælum cælorum nominat, & ipse Paulus v. 4. *Paradisum*: quia Paradisus, in quo Adam collocatus erat, typus aliquis fuit gloriæ & amœnitatis Regni cælorū. Etsi autem revelato mysterio Evangelii cessare debuerunt revelationes & visiones illæ Prophetis olim in veteri Testamento familiares: voluit tamen Dominus, & D. Petrum, sicuti legimus Actorum 10. & Paulum, & D. Ioannem, ut apparet ex
 Apoca-

Apocal. certis & extraordinariis visionib⁹,
partim in arduo munere confirmare: par-
timitanq̄ selecta organa ornare & insignire.

De loco, & modo raptus illius in cælum, ut
curiosè disputare, esset alienum, cum ipse
Apostol⁹ *modum* se ignorare affirmet, sic
nos credere, certoq; statuere decet, supra
hos aspectabiles cœlos & orbes Planetarū
esse cœlū *κατ' ἐξοχήν* sic dictum, *Dei thro-*
nū, ab inferno & ab hoc ipso mūdo distin-
ctū, *receptaculum piarū animarū* post hanc
vitam, & *domicilium omnium piorum* post
Resurrectionē. Frænum porrò injectum
sibi fatetur Apostol⁹, *ne excellentia revela-*
tionum supra modum efferretur, surculum
sc. teli instar infixum carni, Angelum Satha-
næ colaphizantem ipsum ad reprimendam
omnem ferociam, & perpetuò retinendū
Apostolum in recordatione infirmitatis
humanæ. Id quod doctiores ad gravissi-
mas aliquas angustias, aut torturas, quæ
corpus & animam ejus nonnunquā exer-
cerent, vel ad luctam aliquam cum diabo-
lo referunt, ita tamē, ut illi stentationibus
non succumberet, sed peculiari & admi-
rabili Dei potentia sustentaretur. Ideo te-

V. 4.
1. Cor. 10.
V. 13.

statur, se animū non despōdere: sed in mediis infirmitatibus de Dei gratia & praesidio gloriari: qui Dei gratia, q̄ divina benignitatis gustus ipsā vitā melior & optatior est, ut loquitur David Psal. 63. Et fidelis est (inquit Apostolus noster) Domin⁹, qui non patitur nos tentari supra quā possumus, tandemq̄ praestat cum tentatione evasionem.

Epist. 6.
lib. 4.

Sed video mihi vela orationis cōtrahenda, & ad felicē exitum D. Pauli pperandū, ne de D. Paulo differēs, paulò plixior sim, quā deest. Verē enim verō in illo viro cernim⁹ illud robur fidei, de quo B. Cypr. Hoc est Robur fidei, Credere & scire quod Deus à morte liberare possit & non cedere. Abductus enim Romam captivus complures è vinculis epistolas scripsit, quas Chrysof. observat peculiarē spirare energiam fidei & Zeli, velut epistolam secundā ad Timoth. Epistolas ad Galat. Ephesios, Philippenses, Colossen. Et habuerat quidem NERO suū quinquenniū, quo nihil ipsō fuit clementius, uti colligim⁹ ex libris Senecæ de clementia ipsi inscriptis. Sed cum illud quinquenniū dudū desiisset, & Spiritus ille furoris Neronem invasisset, ac Leonis

Epistolæ
Pauli scri-
ptæ ex vin-
culis.

onis instar furiosum cum redderet, adfectq; temp^o, quo finiendum erat curriculum S. Apostoli, & quod ipse præviderat (versatus est autē in ministerio Evangelii ad an. 34.) an. Neronis 14. capite truncatus & martyrio coronatus fuisse perhibetur.

Ad mortem verò magna cum alacritate nō secus quàm ad *Triumphū, & suorum certaminum coronationē* sese cōparavit, ut hæc v. 6. 7. 3. verba 2. Timoth. 4. ostendunt. *Ego iam velut p libamento offeror, & tempus mea resolutionis instat. Certamen illud præclarum decertavi, cursum consummavi, fidem servavi. Quod superest, reposita est mihi iustitiæ corona, quam reddet mihi Dom. in illo die,* IUSTVS ille IVDEX, non solum autem mihi, sed & omnibus, qui expetiverint illustrem illum ipsius adventum.

Hunc itaq; fortissimū Heroa, hunc sanctissimū Apostolum, hunc fidis. doctorē gentiū, vos candidati Theologiæ ornatī, vobis semper imitandū pponite, hujus in docendo fidē, in refutandis errorib^o cordatam dexteritatē, in tolerandis & lucrificēdis infirmis mansuetudinem, in perferendis afflictionib^o patientiā invictūq; animi

robur si retinebitis, & præ oculis semper
 habebitis, non solùm dignissimos vos
 his titulis & honoribus vobis hodie, tri-
 buendis cōprobabit: Sed & de illa
*corona immarcesibili gloria, pal-
 maq; supernæ vocationis
 certi eritis.*

Confero autem me nunc ad actum
 ipsum propter quem convenimus, &c.

F I N I S.




CRASSIORVM ERRATO-
rum Typographicorum correctio.

Pagina 17. lin. 4. Sapientes. p. 30. l. 10. Calamitatum
Ibid. l. 22. dicit. p. 36. l. ult. Expressiss. p. 44. l. 3. Capes-
sendum. p. 48. l. 4. sese. p. 52. l. 12. finem. p. 54. l. 11. vi-
dendum. p. 59. l. 8. salvum. p. 80. l. 13. exercituum. Ibid.
l. 24. Cererem. p. 83. appone sine lineæ 24. (quia) & de-
le l. 25. p. 90. l. 7. falsas. p. 91. l. 23. dele Sed edi non ut cibū
communem menti. p. 124. l. 17. Friderice, Rector hujus
Academiæ inelytæ Magnificentissime p. 125. l. 9. hodie.
p. 126. l. 1. luctiferum. Ibid. l. 4. patronorū, p. 127. l. pen-
ult. juventute p. 130. l. 6. *κῦρος* p. 143. l. ult. appone vi-
vos & mortuos judicandos: Cur autem. p. 166. l. 22.
ταῖς ὤψι. p. 173. l. 5. Catone p. 174. l. 11. fabricatorem.
Ibidem: flaccescere. p. 185. l. 23. Sigismund^o. p. 194. l. 3.
iniquiorum. p. 200. l. 20. cuidam. p. 212. l. 23. videret.
Quando p. 230. l. 4. inusitata. p. 239. l. 6. præclaram. p.
242. l. 9. sinu. p. 245. l. 4. monenti. Ibid. l. 26. admi-
nistratiōni. p. 248. l. 9. puto, ullum.

THE HISTORY OF THE
CITY OF BOSTON

From its first settlement in 1630 to the present time
The city of Boston was first settled in 1630 by a group of Puritan settlers from England. They came to the Massachusetts Bay and established a settlement on the tip of the peninsula that is now the city of Boston. The settlement was founded by a group of Puritan settlers from England, who came to the Massachusetts Bay and established a settlement on the tip of the peninsula that is now the city of Boston. The settlement was founded by a group of Puritan settlers from England, who came to the Massachusetts Bay and established a settlement on the tip of the peninsula that is now the city of Boston.



1530441

OCN 902599601